



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

M.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**



plenum, seu integrum iudicium. *Sot. 4. d. 12. q. 1. art. 7. col. 3.*  
*Tol. l. c. num. 3. cap. 13.*

Conceptam in somnis pollutionem non tenetur evigilans reprimere, sufficit enim non placere. *Sot. loc. cit.*

Optare, ut accidat in somnis pollutio, ad mitigationem libidinis, aut ob aliam honestam causam, mortale non est: modo non detur ei causa; nec ob eandem causam de præterita gaudere, nec comedere illa, unde creditur secutura, modo non intendatur. *Fum pollutio, num 4. Navar. l. c. D. Ant. 2. p. tit. 60.*  
*Tol. l. s. contra Sot. l. c. col. 6. Nec.) Syl. l. c. Navar. l. c. Tol. n 8.*  
*sed Val. l. c. col. pen. contra Navar. licere ait, ob sanitatem gaudere, non autem ob pollutionem.*

Procurare pollutionem numquam licet ob bonam valetudinem, licet hanc ex illa optare, *Tol. l. c. num. 4. Navar. vers. iuxta.*

Delectatio de peccato mortali, quæ dicitur morosa, mortale peccatum est, & ejusdem cum peccato operis speciei. *vid. Thom. 1. 2. q. 74. art. 8. Syl. verb. delect. q. 1.* Non licet autem delectari carnaliter cogitando de copula licita præterita, vel futura, ita ut insurgat sensualis concupiscentiæ motus, & delectatio sit de motu præsentis occasionata ex cogitatione præteriti, vel futuri. *Syl. ibi q. 3. Delectatio) D. Tho. 1. 2. q. 74. art. 4. Navar. c. 11. n. 12. Syl. Cajet. vers. Fum. ver. cogitatio. n. 3. Lop. p. 1. c. 40. sol. 3. ex communi, si quatuor concurrant vid. Jo. B. Cor. q. 50.*

M.

Maleficium.

Vide v. *Superstitio, Divinatio, Observatio vana.*

1. **M**aleficium est ars nocendi aliis ope & potestate dæmonis, qui per peccatum non amisit scientiam naturalem, sed adhuc maxima pollet scientia & cognitione, quam comitatur potentia. Magia naturalis, seu mathematica non est superstitiosa, nec malefica, benè tamen diabolica, & idcirco est illicita: propterea non est licitum maleficos, etiam alias paratos, adhibere ad maleficium faciendum pro re gravi & bono publico, aut causa curiositatis, &c. neque licitum est quoque petere, ut maleficus, aut alius uno maleficio dissol-

Bb 5

vat



vat aliud; quamquam si maleficus sciat modum licitum tollendi maleficium, licet eum rogare ut illud tollat. Solent haec remedia adhiberi contra maleficia, magna fides in divina protectione, susceptio Baptismi & Eucharistiae, confessio peccatorum, exorcismi Ecclesiae, aqua benedicta, reliquiae Sanctorum, signum crucis, invocatio nominis Jesu, B. Virginis Mariae oratio, & jejunium. *tom. 2. circa primum Decalogi praeceptum, disp. 3. q. 5. punct. 5. n. 1. & seq.*

2. Confessarius inquirere debet à malefico, an pactum inierit cum dæmone, & an promiserit se derelicturum Christo & ab ejus fide discessurum; an exhibuerit honorem satanae; an in pacto intercesserit hæresis, v. g. an crediderit sacramenta nihil prodesse, &c. an confecerit maleficium ex rebus sacris, & an damnum intulerit; nam si intulit, peccavit contra justitiam, & consequenter debet restituere. *Ibid. num. 11.*

3. Maleficus cognosci potest ex confessione ipsius propria, ex attestatione eorum qui delicti participes fuerunt, ex scriptura qua se dæmoni volens dedicavit, ex signo aut stigmate maleficis imprimi solito, ex inventis apud eum hostiis, vel imaginibus ceræ acubus infixis, ex unctione animalium, aut vliorum qui postea interierunt. *Ib. n. 12.*

#### Martyrium.

Vide v. *Baptismus.*

#### Matrimonium.

Vide v. *Sacramentum, Sponsalia, Divortium, Lex, Totum, Delectatio, Pollutio.*

1. Matrimonium est legitimus & indissolubilis contractus inter virum & feminam, quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas & confertur gratia sanctificans. *tom. 1. de natura & proprietatibus matrimonii, q. 2. punct. 1. n. 2.*

2. Ad contrahendum matrimonium non sufficit consensus internus, nisi exprimaturs verbis & signis; & regulariter taciturnitas non sufficit; hinc invalidum est matrimonium, quando femina tacet, licet interius consentiat. Invalidum est præterea, quando extraneus spondet & repromittit pro femina tacente; nullum tamen extat præceptum sub mortali celebrandi



brandi matrimonium verbis. *Ibid. num. 3. & seqq.*

3. Inter beatam Virginem & S. Joseph intercessit verum matrimonium ratum, sed non consummatum, quandoquidem beatissima Virgo semper fuerit virgo. Neque peccavit contra votum castitatis contrahendo matrimonium: factum enim erat sub hac conditione, nisi Deus aliter sibi placere revelaverit. *Ibid. n. 9 & 10.*

4. Matrimonium infidelium est quidam contractus, quem infideles celebrando non peccant; non tamen est sacramentum, loquendo de sacramento proprie accepto, carent enim Baptismo qui est janua sacramentorum. Eorum tamen matrimonium fit sacramentum post Baptismum, interveniente novo consensu, aut ratificatione præcedentis.

Matrimonium contractum à fidei cum catechumena ex dispensatione Summi Pontificis, est sacramentum. *Ibid. punct. 2. n. 2. & seqq.*

5. Obligatio contrahendi matrimonium potest contingere extra necessitatem conservandæ speciei humanæ, quando est unicus heres, quo non nubente, exorirentur seditiones & bella in Republica. *Ibid. punct. 3. nu. 4.*

6. Religiosi & habentes votum castitatis, possent & tenerentur matrimonium contrahere casu quo ceteri homines essent bello vel peste extincti, & non invenirentur alii præter religiosos, aut alios votum castitatis habentes. *Ibid. num. 3.*

7. Mutua corporum traditio est materia proxima sacramenti matrimonii: acceptatio verò utriusque conjugis est forma sacramenti matrimonii, & per eam perficitur matrimonium. *Ibid. punct. 4. n. 1.*

8. Minister essentialis hujus sacramenti non est Sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, cum efficienter celebrent contractum matrimonii: Sacerdos verò est tantum accidentaliter minister, quatenus ex officio jungit & benedicit contrahentibus, quod est accidentarium matrimonio. *Ibid. n. 5.*

9. Valide contrahi potest matrimonium etiam quatenus sacramentum, inter absentes per litteras vel procuratorem, sive procurator sit masculus, sive femina: id enim postulat natura contractus, & consequenter matrimonii, quod est contractus elevatus in sacramentum. Et in hoc differt à reliquis sacramentis quæ celebrari nequeunt inter absentes. *Ibid. punct. 5. n. 1. & 2.*

10. Nul-



10 Nullus fidelis potest contractum matrimonii celebrare quin sit sacramentum: quamquam ratio sacramenti & contractus videatur separabilis *Ibid. num. 4.*

11. Ut matrimonium celebratum per litteras vel procuratorem sit validum, requiritur presentia Parochi & testium, ut litteræ non sint fictæ; id est, ut non sint factæ sine animo contrahendi; & ut procurator non sit fictè constitutus, & consensus non sit revocatus. Denique requiritur ut procurator agat per seipsum, ut habeat speciale mandatum ad contrahendum cum certa persona, & non excedat fines mandati. *Ibid. num. 5. 6. & 8.*

12. Validè celebratur matrimonium nomine alterius sine præmissis denuntiationibus, quando procurator electus fuit ad ineundum matrimonium servata forma Tridentini. *Ibid. num. 9.*

13. Procurator contrahens matrimonium nomine alterius, adhibet hæc verba: *Recipio te in uxorem nomine Titii, vel Titius accipit te in uxorem me mediante: & femina respondet: Ergo te mediante duco Titium, Ibid. num. 11.*

14. Qui matrimonium per procuratorem celebrat, debet advigilare ut sit in gratia quando celebratur matrimonium; tunc enim ipse suscipit sacramentum sive vigilet, sive dormiat, sive factus sit amens. *Ibid. num. 13.*

15. Matrimonium clandestinum, quod videlicet contrahitur sine Parocho & duobus vel tribus testibus, est invalidum; aliàs tamen validum fuit. Matrimonium quod domi celebratur, non dicitur clandestinum & invalidum, modò celebretur coram Parocho & testibus. Parochus jubetur habere librum, in quo referat nomina testium & contrahentium, locumque & tempus contractus matrimonii. *Ibid. punct. 6. num. 2. 4. & 5.*

16. Contrahere matrimonium clandestinum absque denuntiationibus, sine licentia est peccatum mortale, sicut & illud consummare; sed tamen matrimonium ita contractum, validum est *Ibid. num. 6 & 7.*

17. Quando contrahentes habent plura domicilia, seu parochias, denuntiationes faciendæ sunt à Parocho tribus diebus festis continuis in ea parochia, in qua diutius habitant, & principaliorem aut antiquiorem habent larem. *Ibid. num. 11.*

18. Parochus propria auctoritate & sine causa legitima mittens denuntiationes, suspendendus est ab officio per triennium, aliquando tamen de licentia ordinarii una tantum de-



denuntiatio præmittitur: qua facta non statim contrahendum matrimonium, sed danda mora ad deferendum impedimenta si quæ extant. *Ibid. n. 13. 15. & 16.*

19. Inter Majorum solemnia, vel alia celebri occasione fieri solent denuntiationes in die festo, etiam alicujus particularis Ecclesiæ. Imò verò adhuc alio die quàm festo, si adsit magnus populi concursus. Talis enim est mens Concilii Tridentini, ut multi sciant, & detegantur impedimenta; ad id enim obligantur qui sunt conscii, secluso gravi suo incommodo, & aliorum scandalo. Imò habens impedimentum, tenetur desistere à matrimonio contrahendo; illudque judici interroganti juridicè manifestare. *Ibid. num. 17. & seqq.*

20. Transferens se ad locum, ubi Tridentinum non est acceptatum, potest ibi matrimonium sine Parocho & testibus, validè celebrare. Ita captivi apud Turcas validè contrahunt, etiam si non habeant animum ibi perpetuò manendi. Adverte tamen incolam illius loci, in quo Tridentinum non est acceptatum, non posse celebrare matrimonium sine Parocho & testibus, si divertat ad eum locum in quo est acceptatum. *Ibid. punct. 7. num. 1. & seqq.*

21. Femina quæ invalidè contraxit coram proprio Parocho, non satisfacit coram eodem contrahendo postquam mutavit proprium domicilium. *Ibid. punct. 8. n. 4.*

22. Non validè potest contrahi matrimonium coram illo Parocho, ad cujus parœciam aliquoties in anno quis divertit relaxationis gratia. *Ibid. num. 5.*

23. Validum est matrimonium eorum qui aliò se conferunt ibique habitant, ut evitent proprios parochos: utuntur enim jure suo. *Ibid. n. 7.*

24. Qui habent duplicem parœciam, possunt validè contrahere coram quolibet Parocho. Antequam ignoti & vagi recipiantur ad matrimonium celebrandum, fiat debita inquisitio impedimentorum. *Ibid. num. 8. & 9.*

25. Ad validitatem matrimonii sufficit, si matrimonium contrahatur coram Parocho, sive viri, sive feminae, quando vir est unius parœciæ, & femina alterius. *Ibid. n. 10.*

26. Matrimonium urgente necessitate, aut in periculo mortis, non potest validè celebrari sine Parocho & testibus, irritaturque à Concilio tamquam clandestinum. *Ibid. n. 11.*

27. Sacerdos sæcularis aut regularis, qui audet conjungere non sibi subditos, aut ipsis benedicere sine Parochi vel Ordinari

narii



nari facultate expressa, incurrit ipso jure suspensionem. *Ibid.* num. 15.

28. Potest Parochus dare facultatem validè assistendi matrimonio suorum subditorum, etiam extra diocesim: validumque est matrimonium contractum coram Parocho, qui nondum est Sacerdos. *Ibid.* n. 16. 17. & 19.

29. Archiepiscopus non potest conjungere in matrimonium subditos suorum suffraganeorum, nec dare licentiam illos conjungendi: cum non sit eorum Superior, nisi in gradu appellationis, *Ibid.* n. 18.

30. Invalidum est matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam extorsit per dolum & mendacia veritatis circa causam finalem: secus dicendum quando veritatur tantummodo circa causam impulsivam. *Ibid.* n. 20.

31. Parochus interdictus, irregularis, aut prohibitus, validè assistit matrimonio; adhuc enim posito interdicto retinet jurisdictionem seu potestatem. Similiter is, cui vetitum est ministrare sacramenta ob incertiam, Item & degradatus, aut Parochus habens beneficium titulo colorato, & errore communi vulgi; modò non adsit impedimentum juris divini vel naturalis. Similiter & laicus, si communi errore habetur Sacerdos aut Parochus, seu ab eo facultas obtinuit. *Ibid.* n. 21. 22. 27. & 33.

32. Valida est absolutio data ab eo Sacerdote qui communitè habetur pro Parocho: remanetque absolutus, qui Sacerdoti excommunicato vitando confitetur in eo loco ubi ignoratur, & ipse similiter ignorat; in hoc enim casu Ecclesia supplet jurisdictionem. Adde validè adhuc absolvere Sacerdotem cui fictè data est facultas. *Ibid.* num. 31. 34. & 36.

33. Denique gesta cum errore communi valida sunt respectu ignoantis, modò non adsit impedimentum juris divini, ut contingit in eo qui creditur Sacerdos cum verè non sit Sacerdos: talis enim invalidè administrat. Idem dic de defectu naturali, qui non potest ab Ecclesia suppleri, & ob hanc rationem gesta judicis mente capti invalida sunt, etiam si communi errore sanæ mentis credatur. *Ibid.* n. 38. & seq.

34. Parochus non peccat mortaliter omittendo verba: *Ego vos conjungo*, &c. neque similiter omittendo interrogationem de mutuo consensu contrahentium, quando ei aliunde constat. *Ibid.* num. 42. & 43.

35. Quæcumque personæ doli capaces, cujuscumque conditionis & status, sunt legitimi testes in matrimonio. Excepte



dormientes, amentes, ebrios, furiosos, quamdiu carent lucido intervallo: quia non possunt esse præsentes humano modo; sicuti nec Parochus & testes transeuntes, ob eandem rationem *ibid. n. 45. 46. & 49.*

36. Contrahens matrimonium sine Parocho & testibus, non redditur inhabilis ad contrahendum aliud matrimonium *ibid. num. 50.*

37. Matrimonium clandestinum nullam inducit obligationem cum sit irritum, nisi fortè contrahentes habuerint animum obligandi se eo modo, quo possent. *ibid. num. 51.*

38. Ad faciendum validum matrimonium quod revera est invalidum defectu consensus interni, vel ratione gravis metus, sufficit si solum consensus internus de novo præstetur ab eo qui consenserat fictè, aut per metum gravem; modò alter sponsus, qui antea verè consenserat, non revocaverit suum consensum, quem signo aliquo externo exprimere non est necessarium. *ib. punct. 9. num. 1. & 3.*

39. Ad validandum matrimonium quod fuit invalidum ob impedimentum dirimens, necessarius est cessante tali impedimento novus utriusque consensus signo externo expressus, nec sufficit consensus ejus tantum qui novit impedimentum. *ibid. n. 6.*

40. Validum est matrimonium cum falso errore impedimenti celebratum, si contrahentes intendant contrahere, quantum in ipsis est: sicut etiam validum est matrimonium eorum qui credunt adhuc vivere priorem conjugem, cum mortuus sit, si ambo contrahant cum intentione quatenus possunt. *ibid. num. 8. & 9.*

41. Ad validandum matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, non requiritur præsentia Parochi & testium, si impedimentum illis ignotum fuit: nec tenentur de novo benedictionem recipere. *ibid. n. 10. & 11.*

*Matrimonium conditionatum.*

42. Conditionum quæ in contractu matrimonii apponi possunt, alia est necessaria, cujus eventus non est expectandus, cum habeatur pro impleta: alia turpis, & hæc irritat matrimonium quando est de futuro præstanda, & contra substantiam matrimonii, id est contra bonum prolis, fidei, seu fidelitatis: aliæ impertinentes, aliæ impossibiles, aliæ bo-



honestæ, aliæ de præterito, aliæ de præsentî, & aliæ de futuro.  
Unde patet matrimonium his conditionibus celebratum  
*Duco te in uxorem, si cras sol orietur, &c.* aut, *contraham tibi*  
*si pater meus è vita migraverit: aut, contraho tecum si An-*  
*christus nascetur: si es virgo, &c.* statim validum esse. Has ta-  
men rejicere debet Parochus in celebratione matrimonii.  
Validum verò est matrimonium his conditionibus: *Contraho*  
*tecum si filios occidas, aut abjicias ut moriantur, &c.* obratio-  
nem jam dictam, aut contractum cum pacto numquam coha-  
bitandi simul. *Ibid. punct. 10. n. 3. & seqq.*

43. Conditio impossibilis tam de præterito, quàm de futuro, non irritat matrimonium: ut si dicatur, *contraho tecum*  
*montem istum in mare transtuleris, & ad sit consensus contra-*  
*hentium absolutus. Ibid. num. 16.*

44. Matrimonium celebratum sub conditione honesta de  
præsentî, vel de præterito, validum est, si res ita est: ut *contraho*  
*tecum si dives es.* Si verò conditio sit de futuro, matrimonium  
non est validum ante conditionis eventum. Hinc fit ut is qui  
per verba de præsentî contraxit matrimonium cum duobus  
sub conditione de futuro, fiat maritus illius, cujus conditio  
prius adimpletur. *Ibid. n. 20 & 21.*

45. Matrimonium contractum sub conditione impertinen-  
ti de futuro, non est validum, antequam verificetur conditio.  
Validum verò est, ea verificata & adimpleta. *Ib. n. 24.*

46. Validum est matrimonium inter habentes impedimen-  
tum celebratum sub conditione, *si Papa dispensaverit, Ibid.*  
*num. 23.*

47. Ex his patet quid dicendum de sponsalibus sub condi-  
tione celebratis. *Ibid. num. 26.*

48. Matrimonium etiam non consummatum, est indissol-  
ubile jure naturali & divino: *quod Deus conjunxit, homo non*  
*separet, nec dissolvi potest propter adulterium: potest tamen*  
Summus Pontifex dispensare in matrimonio rato, ad tollen-  
das graves discordias, vel vitandum perversionis periculum.  
*Ibid. punct. 11. num. 2. & seq.*

*Matrimonii impedimenta dirimentia.*

49. Impedimenta jure naturæ dirimentia matrimonium,  
sunt defectus usus rationis, error circa personam, impotentia  
perpetua ad coeundum, &c. *Ibid. q. 3. punct. 1. n. 1.*



50. Ecclesia potest irritare contractus mediatè, reddendo personas inhabiles ad contrahendum; & immediatè, irritando contractum matrimonii, v g infidelium *ibid. num. 2.*

51. Per consuetudinem legitimè præscriptam possunt nova impedimenta induci, & inducta auferri: consuetudo enim vim habet inducendi legem, & inductam abrogandi. *Ibid. n. 7*

52. Impedimenta non solum impedientia, sed etiam dirimentia secundum jus antiquum sunt duodecim; secundum verò jus novum sunt quatuordecim: nam Cōc. Trident. addidit *raptum, & defectum presentia Parochi & testium.* Omnia sequentibus versibus continentur:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,  
Si parochi, & duplicis desit presentia testis,  
Raptave sis mulier, nec parti reddita tuta:  
Hic facienda vetant connubia, facta retrahant.*

Præter hæc, extant alia tantummodò impedientia, quæ paulò post occurrent. *Ibid. num. 10.*

*Impedimentum erroris.*

51. Matrimonium contractum cum errore circa substantiam, est invalidum jure naturæ, tam inter fideles quàm infideles: errantis enim nullus est consensus; nec refert quod error sit comitans, nisi fortè errans intendat de præsentì contrahere cum tali persona, qualiscumque illa sit. *Ibid. punct. 2. num. 2 & seq.*

54. Matrimonium contractum cum errore qualitatis, non est invalidum: neque celebratum per dolum dantem ipsi causam; adest enim voluntarium simpliciter & consensus positivus. Intellige tamen hanc doctrinam cum duplici limitatione, scilicet ut qualitas circa quam erratur, non fuerit appposita per modum conditionis. ex gr. si quis dicat, *Duco te in uxorem si es nobilis*: deinde ut error qualitatis non transeat in errorem personæ: tunc enim cum erreretur circa personam, invalidum est matrimonium. *Ibid. n. 5 & 6.*

55. Tunc autem error qualitatis transit in errorem personæ, quando qualitas in qua erratur, respicit aliquam certam & determi-



terminatam personam, distinctam ab ea quæ præsens est.

num. 7.

56. Validè contrahitur matrimonium cum eo qui se filium Regis, non explicans cujus Regis filius sit. Similiter validum est matrimonium, quando non intervenit error personæ, sed qualitatis, *Ibid. num. 8. & 9.*

*Impedimentum conditionis, seu servitutis.*

57. Matrimonium contractum cum errore conditionis non est invalidum, quando persona cum qua contrahitur, æqualis, aut melioris conditionis; unde servus contrahens cum serva, quam credebat liberam esse, validè contrahit. Similiter & liber contrahens cum serva, quæ contrahendo libera. *Ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

58. Error conditionis irritat matrimonium, quando conditio errantis fit deterior, ut quando liber contrahit cum serva quam credebat liberam. Irritum etiam est, quando liber contrahit cum serva, cum qua adhuc contraheret, cognita servitute. *Ibid. num. 4. & 5.*

59. Matrimonium inter liberum & servam celebratum, est validum, si liber cognito errore copulam habeat cum serva. *Ibid. num. 6.*

60. Servus potest invito domino matrimonium celebrare cum serva, vel cum libera: non tenentur tamen domini consentire; dubitaturq; an possint vendere servos in locis distantibus, in quibus servi non possint reddere debitum, maxime quando servi sine eorum licentia matrimonium contrahunt, non posse sine peccato mortali, asserunt Theologi; liceret enim contra jus illorum. *Ibid. num. 7. 8. & 9.*

61. Filius sequitur conditionem matris, id est, servitutum quando est serva, & è contrariis mater fuerit libera tempore conceptionis, vel partus, & postea non fiat serva jure bello. Quando femina gravida se vendit, filius est liber, & non servus. *Ibid. num. 10. & seq.*

62. Uxor constante matrimonio non potest se vendere absque viri consensu; secus dicendum de viro, qui non est subiectus uxori, nisi ratione debiti conjugalitatis. *Ibid. num. 13.*

*Impedimentum voti.*

63. Votum solemne est illud quod emittitur in susceptio-



ne factorum ordinum, vel in professione religionis: votum simplex est illud quod fit ad libitum cujuscumque. *Ibi punct.*

4. num. 1.

64. Votum castitatis, emissum in professione valida religionis approbatæ, dirimit matrimonium, etiam consummatum, factum post ipsam professionem, consequenter religiosus professus invalidè contrahit matrimonium. Idem dicendum de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis JESU, peracto biennio. *ib. n. 2. & 3.*

65. Professio facta in approbata religione, dirimit matrimonium celebratum ante ipsam professionem, modò matrimonium sit tantummodò ratum, & non consummatum. Idem dicitur de professione Equitum militarium. *ibid. num 4 & 5.*

66. Facta professione ab altero ante consummatum matrimonium, conjux manens in sæculo potest cum alio contrahere matrimonium. *ibid. num 5.*

67. Matrimonium consummatum celebratum ante professionem, non dirimitur per sequentem professionem; etiam si fuerit consummatum intra bimestre. Sunt qui addant & per vim, sed malè *ibid. num. 7. & 8.*

68. Alter conjugum post matrimonium consummatum, valide professionem non emittit altero incio, vel consentiente per metum, dolum, &c. seclusa tamen causa perpetui divortii. Item, invalida est professio quam uterque conjux emittit credens alterum perisse. Adde, conjuges de communi consensu posse ingredi religionem post consummatum matrimonium, imò etiam unum, altero manente in sæculo, si proventæ sit ætatis, si emittat votum continentiae, & Episcopus consentiat. *ibid. n. 9. & seqq.*

69. Ingressus religionem post consummatum matrimonium, committit adulterium, si cum alio copulam habeat. *ibid. n. 13.*

*Impedimentum cognationis naturalis.*

70. Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem proximo stipite descendentiurn carnali propagatione contractum. *ibid punct. 5. §. 1. num. 3.*

71. Consanguinitas distinguitur per lineas & gradus. Nomine *linea*, intellige seriem seu collectionem personarum, tam ascendentiurn, quam descendentiurn. Nomine



*gradus*, intellige distantiam majorem vel minorem una personæ ab alia. Linea duplex est, recta, & collateralis seu transversa. *Ibid. n. 4 & 5.*

72. Invalidum est saltem jure Ecclesiastico, matrimonium celebratum inter personas consanguineas intra quartum gradum inclusive, tam in linea recta, quam in linea transversa. Item matrimonium celebratum in linea recta consanguinitatis, invalidum est jure naturæ, in primo tantum gradu. *Ibid. num. 7. & 8.*

73. Validum est matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu consanguinitatis; cum infideles non afficiantur impedimenti jure Ecclesiastico inductis, & matrimonium in illis gradibus non sit irritum jure naturæ. *Ibid. num. 9.*

74. Matrimonium contractum à fidelibus consanguineis in linea recta, extra quartum gradum, validum est. *Ibid. num. 10.*

75. In primo gradu lineæ transversæ, nempe inter fratrem & sororem, invalidum est matrimonium jure naturæ; & licet Papa dispensare potest ut matrimonium celebretur cum filio fratris aut sororis qui sunt in secundo gradu, ita potest dispensare in tertio & quarto; nam in his gradibus matrimonium non est irritum jure naturæ. *Ibid. n. 12 & 13.*

#### *Impedimentum cognationis spiritualis.*

76. Cognatio spiritualis est propinquitas, seu attinentia quarundam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, aut Confirmationis, & propter susceptionem recipientis hæc sacramenta. Cognatio spiritualis in Baptismo contrahitur inter baptizantem & baptizatum, inter susceptorem & baptizatum, inter baptizantem & patrem ac matrem naturalem baptizandi, & inter susceptores & patrem ac matrem baptizati, dirimitq; matrimonium jure Ecclesiastico, non verò inter ipsos susceptores. *Ib. §. 2. n. 1. 2 & 4.*

77. Ad contrahendam cognationem in Baptismo, vel in Confirmatione requiritur ut teneatur infans in Baptismo, scilicet lemmi, ut puer suscipiatur quando primò baptizatur, ut ad sit intentio tacita vel expressa præstandi munus patrini, ut non adsit error personæ, ut baptizans aut suscipiens sit baptizatus quare infidelis nullam contrahit cognationem; deinde ut co-



pater & commater suscipiant puerum de manibus baptizantis statim ac baptizatus est, & si commater suscipiat tantummodo infantem de manibus compatris, non contrahit cognationem, eò quod non dicatur suscipere de Baptismo, seu de sacro fonte. Denique requiritur contactus, ita ut suscipiens, seu tenens, verè dicatur suscipere, seu tenere. *Ibid. num 8. & seq.*

78. Puer cujuscumque ætatis potest esse legitimus susceptor, modò usu rationis gaudeat. Similiter hæreticus & religiosus possunt suscipere alios in Baptismo, est tamen prohibitum religiosi *Ib n. 17. 22. & 23.*

79. Dubitatur, quinam contrahant cognationem, quando plures tangunt puerum in Baptismo? Respond. si omnes, etiam non designati, tangunt simul, omnes contrahunt cognationem; si successive, tantum primus, vel prima mulier tangens contrahit. Quando plures designati sunt à parentibus, sed Parochus admittit unum tantum & unam, cognatio contrahitur tantummodò ab admittis à Parocho; secus dicendum quando parentes designarunt tantum duos, sed Parochus admittit plures ad suscipiendum, non enim ad illum pertinet designare, quando parentes designarunt; quando verò non designarunt, tunc designati à Parocho contrahunt cognationem. Ille ergo qui tangit baptizatum non designatus à parentibus vel saltem à Parocho, non contrahit cognationem cum aliis designati. *Ibid. n. 24. & seq.*

80. In Baptismo abhiberi possunt duo patrini, masculus & femina, in Confirmatione verò unus tantum, estque peccatum mortale admittere plures: neque Episcopus dispensare potest, ut duo viri, aut ~~duo~~ <sup>duo</sup> ~~reminae~~ <sup>reminae</sup> simul suscipiant infantem in Baptismo. *Ib. n. 31. & seq.*

81. Quando aliquis mittit procuratorem ad suscipiendum infantem, mittens contrahit cognationem, non autem procurator. *Ibid. n. 34.*

#### *Impedimentum cognationis legalis.*

82. Cognatio legalis est propinquitas quarumdam personarum, consurgens ex adoptione: adoptio verò est legitima assumptio extraneæ personæ in filium vel nepotem, &c. vel in filiam, &c. Adoptans debet esse sui juris, & major 25. annis, nec debet esse femina, (quæ adoptare non potest absque privilegio,) ut non sit impotens, ex defectu naturali, ut tam pro-



vestra sit ætatis, ut excedat adoptatum 18. annis, & possit pater carnalis adoptati. *Ibid.* §. 3. n. 1. 2. & 3.

83. Cognatio legalis contrahitur inter adoptantem & adoptatum, & adoptati descendentes usque ad quartum gradum: inter uxorem adoptantis & adoptatum, & e converso inter filios adoptantis & adoptatum; inter has personas cognatio legalis impedit & dirimit matrimonium quamdiu durat. *Ibid.* n. 4. & 5.

84. Quando plures adoptati sunt ab uno & eodem, possunt adoptati inter se matrimonium inire. Potest similiter adoptatus celebrare matrimonium cum filia illegitima adoptantis. Denique validum est matrimonium ab infidelibus celebratum in cognatione legali; nam infideles non sunt subiecti jurisdictioni Ecclesiæ. *Ibid.* num. 7. & seq.

*Impedimentum criminis.*

85. Crimen impediens & dirimens matrimonium in iure Ecclesiastico, est homicidium & adulterium. Ut crimen homicidii inducat impedimentum dirimens, requiritur occasio conjugis, sive per se, sive per alium: neque sufficit ratiocinatio absque cooperatione: ut vir & femina qui matrimonium contrahunt, conspiraverint in mortem conjugis occidendo eo fine ut poterint inter se matrimonium contrahere: deinde ut mors sequatur. Unde qui mandavit occidi, & postea revocavit mandatum, innotuitque revocatio mandatarum mortem conjugis, non est reus huius impedimenti, sicut nec ille qui tantum consuluit. *Ibid.* p. 26. n. 1. & seq.

86. Ut crimen adulterii inducat impedimentum dirimens matrimonium, requiritur adulterium cum homicidio, contra matrimonium, & cum promissione matrimonii. *Ibid.* num. 8.

87. Promittens matrimonium celebrandum post mortem conjugis, & acceptans, peccat mortaliter, nam sic datur anima captanda mortis alterius conjugis. estque illicita & invalida huiusmodi promissio. *Ibid.* n. 10. & 11.

88. Nullum inducitur impedimentum criminis, quando Titius copulam habet cum Berta, vivente ejus viro, post cuius mortem promittit matrimonium eidem Bertæ. Similiter non inducitur crimen, quando duo conjugati promittunt sibi matrimonium, sed postea penitentia ducti resiliunt a promissione, & postea sequitur inter eos copula. Præterea non indu-



inducitur crimen dirimens quando quis occidit uxorem, ut contrahat cum alia, quæ non fuit particeps homicidii, aut ob aliquem finem, aut animo ducendi aliam indeterminatam, aut quando quis occidit uxorem in flagrante crimine adulterii deprehensam. Denique occidens uxorem suam ut aliam ducat, potest matrimonium inire cum alia cum qua non peccavit. Hoc impedimentum criminis contrahitur solum à fidelibus. *ibid. n. 12. & seqq.*

*Impedimentum disparitatis cultus.*

89. Disparitas cultus reperitur inter fidelem & infidelem: unde matrimonium baptizati, seu fidelis contractum cum infideli, seu non baptizato invalidum est iure Ecclesiastico; sed non iure divino, vel naturali. Quando infideles conjugati convertuntur ad fidem, non sunt separandi, nisi infidelis nolit habitare cum fidele, aut vult habitare quidem, sed non absque injuria creatoris, id est, quando compellit fidelem ad peccatum. *ibid. punct. 7. num. 1. & seq.*

90. Matrimonium non solum ratum, sed etiam consummatum dissolvitur per professionem infidelis conversi factam in religione. *ibid. num. 9.*

91. Filii, quando unus parentum convertitur ad fidem altero persistente in infidelitate, sequuntur conditionem parentis fidelis, quando filii nondum sunt capaces delicti, alioqui relinquendi sunt in propria libertate. *ibid. num. 11.*

*Impedimentum vis.*

92. Metus intrinsecus, seu à causa intrinseca, distinguitur à metu extrinseco, qui fit à causa extrinseca libera. Vis & metus adhuc est duplex, unus, qui aufert omnino consentum & voluntarium, alter est, qui non tollit omnino consentum, sed solum tollit securum quid. Præterea est adhuc metus cadens in virum constantem, & cadens in inconstantem. Ad metum gravem & cadentem in constantem vicium revocatur metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, vel longi carceris, vel exilii diuturni, vel servitutis, vel stupri, vel amissionis status honorifici, omnium bonorum, vel saltem magnæ partis: similiter metus infamæ, juris vel facti. *ibid. punct. 8. num. 1. & seq.*



93. Ut metus gravis dirimat matrimonium, requiritur illud malum quod timetur probabiliter imminere. *Ibid. n. 7.*

94. Matrimonium celebratum per metum gravem, seu evidentem in constantem virum, est invalidum jure Ecclesiastico, modò metus sit injustè incussus a causa libera ad extorquendum consensum. *Ibid. nu. 8.*

95. Stuprator validè contrahit matrimonium cum ea quam violavit, etiamsi contrahat ob metum excommunicationis aut mortis à judice infligendæ; quia metus non incurritur injustè: similiter validè celebratur matrimonium ab eo, qui à judice cogitur sub gravi pœna stare sponsalibus, cum justè ad ea implenda cogatur.

Validum quoque est matrimonium, quando quis cogitur illud celebrare per sententiam materialiter injustam; talis enim coactio est juridica & justa formaliter. *Ibid. n. 12. & seq.*

96. Validum adhuc est matrimonium celebratum ob metum justæ accusationis, aut carceris, aut mortis juridicè infligendæ: aut ob metum incussum à causa libera, non ad hunc finem, ut matrimonium ineatur, sed ob aliam causam; nec refert quòd sit aliquo modo involuntarium; nam illud involuntarium non censetur causa consensus.

Hinc infertur validum esse matrimonium, quòd quis contraxit cum concubina metu inferni, vel infamiæ, vel ob periculum animæ, aut corporis ex sententia Medici nisi ducat uxorem. Similiter validum est matrimonium quòd contraxit damnatus ad mortem, cui judex promisit liberationem, si propriam filiam aut aliam duceret: aut quòd obsessus contraxit cum filia obsidentis, ut obsessionem evaderet, aut deflorator cum ea quam defloraverat, ut mortem evaderet: aut ægrotus cum filia Medici, à quo aliter curari non potuisset: nam in his casibus metus mortis non fuit incussus ad extorquendum matrimonium. *Ibid. num. 16. & seq.*

97. Matrimonium est invalidum, quando contrahens metu mortis cogitur, non solum contrahere matrimonium, sed etiam per copulam illud consummare: deest enim consensus liber. *Ibid. num. 24.*

98. Si metus cadens in constantem virum incutiatur ad contrahendum, sive ab altero contrahente, sive ab alio, matrimonium est invalidum, etiam adjuncto juramento non contravenienti; neque opus est relaxatione talis juramenti, quia non obligat, nec peccat qui sic contrahit per metum. *Ibid. n. 25. & seq.*



99. Matrimonium celebratum per metum non resolvitur in sponsalia: talis enim contractus est irritus jure positivo; & sponsalia cum gravi metu celebrata sunt similiter irrita, neque inducunt impedimentum publicæ honestatis. *ibid.* num. 28 31 & 32.

100. An sponsus qui alteri metum incussit, possit resilire à matrimonio, antequam alter, qui per metum consensit, ratificet consensum, sunt qui affirmant, sunt qui negent; & utraque sententia est probabilis *ibid.* num. 35.

101. Compellens alios ad matrimonium contrahendum, incurrit excommunicationem latam in Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 9. Excipe tamen dominos cogentes sua mancipia, & parentes suos filios. *ibid.* n. 34.

### Impedimentum ordinis.

102. Ordines minores nullo jure dirimunt matrimonium; neque qui accedit ad illos, credens illis annexum esse votum solemne castitatis, tenetur servare castitatem ex voto solemni aut simplici: neque peccat clericus qui susceptis ordinibus contrahit matrimonium: & ne quidem venialiter, si justa de causa id fiat. *ibid.* punct. 9. n. 1. & *seq.*

103. Recipiens aut conferens primam tonsuram, vel minores ordines animo non ascendendi ad minores, aut cum intentione evitandi forum sæculare, non peccat. *ibid.* n. 5.

104. Ordines majores validè & sine gravi metu suscepti, dirimunt jure Ecclesiastico matrimonium subsequens. *ibid.* num. 8.

105. Validum est votum, & consequenter matrimonium invalidum, quando quis recipit sacerdotales ordines, nesciens illis annexum esse votum; quia qui vult statum aliquem, vult etiam ea quæ sunt annexa illi statui. *ibid.* n. 10.

106. Suscipiens sacros ordines cum intentione non voti, non tenetur voto castitatis ratione voti præcisè, sed ratione præcepti Ecclesiastici. *ibid.* n. 11.

107. Votum continentiae est annexum ordini sponte suscepto, sicut etiam est annexum onus recitandi officium. *ibid.* num. 12.

108. Græcis Sacerdotibus numquam licitum fuit contrahere matrimonium; permixtum tamen est Græcis jam conjugatis suscipere sacros ordines, & uti matrimonio ante sacros ordines celebrato. *ibid.* n. 13.



109. Ordinatus ante rationis usum non tenetur voto ca-  
stitatis, nisi ordines susceptos postea ratificaverit. *ibid. n. 14.*

110. Initiatus ordine sacro, incurrit excommunicationem  
& irregularitatem, si matrimonium contrahat. *ibid. n. 17.*

111. Vir conjugatus potest licite sacros ordines suscipere,  
si possit facere divortium quoad thorum & habitationem,  
etsi suscipiat cum libero & legitimo uxoris consensu: qui ve-  
ro suscepit sacros ordines absque legitimo uxoris consensu,  
potest reddere debitum petenti mulieri, sed non petere.  
Imo potest vir conjugatus ad Episcopatum promoveri, si  
uxor consentiat, & ipsa religionem ingrediatur, & in ea  
professionem emittat, si juvenis sit. *ibid. n. 18. 19 & 21.*

112. Uxor quae voto castitatis emisso, licentiam conjugii  
dedit suscipiendi sacros ordines, &c. non potest mortuo con-  
juge novum inire matrimonium, quia detinetur vinculo ca-  
stitatis. *ibid. n. 22.*

#### *Impedimentum ligaminis.*

113. Polygamia dicitur, quando simul plures habentur  
uxores: bigamia vero, quando successivè, id est, quando  
mortua prima ducitur secunda. *ibid. p. 10. n. 1.*

114. Ligamen est vinculum prioris matrimonii, quo duran-  
te posterius matrimonium est invalidum. *ibid. n. 2.*

115. Ligamen dirimit matrimonium posterius, non so-  
lum jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali & divino.  
Quare Summus Pontifex nequit dispensare in pluralitate  
uxorum aut virorum simul, cum non dispenset in jure natu-  
rae, vel divino; dispensavit tamen Deus in lege veteri. Simi-  
liter primum matrimonium dirimitur per secundum con-  
summatum. Item infideles nequeunt valide contrahere ma-  
trimonium cum pluribus simul, & si infidelis convertatur  
ad fidem postquam plures duxit uxores, debet permanere  
cum prima, si ipsa voluerit cum eo permanere absque Salva-  
toris injuria. *ibid. num. 3 & seq.*

116. Certitudo moralis de morte conjugis requiritur ut  
superstes possit cum alio matrimonium inire, nec sufficit ab-  
fuisse per multos annos, aut talem esse famam, nisi forte tanta  
sint indicia, ut nullus sit amplius dubitandi locus de ejus  
morte. ut si ingressus est praelium, nec postea amplius compa-  
ruit, & fama est periisse: neque sufficienter probatur mors  
conjugis



conjugis per unum testem, nisi urgeant aliæ conjecturæ. *ibid.*

*num. 12. & seq.*

117. Uxor quæ celebravit matrimonium cum secundo, credens priorem virum esse mortuum, tenetur recedere à secundo, si cognoscat priorem virum superstitem esse. *ib. n. 17.*

118. Validum est matrimonium contractum ab eo qui credebatur superstitem esse priorem conjugem, sed reverà mortua erat, si habuit intentionem contrahendi quantum poterat. *ibid. num. 18.*

*Impedimentum publicæ honestatis.*

119. Impedimentum publicæ honestatis ita appellatur, eò quod æquum sit propter publicam honestatem & decensiam, ut matrimonium impediatur inter aliquas personas, quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia, vel ob matrimonium. *ibid. punct. 11. num. 1.*

120. Ex sponsalibus validis & certis oritur jure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu. Oritur etiam ex matrimonio rato, extenditurque usque ad quartum gradum. *ibid. num. 2. Hinc*

121. Infertur primò impedimentum publicæ honestatis non induci, quando aliquis fictè consensit, aut sponsalia invalida sunt. Secundò, publicam honestatem non extendi ad infideles; nec cessare per dissolutionem sponsaliorum mutuo consensu factam; cum impedimenta dependeant ab Ecclesia. *ibid. num. 3. 6. & 7.*

122. Concurrit aliquando publica honestas cum impedimento affinitatis; ex gr. qui celebravit sponsalia cum Berta, & postea copulam habet cum sorore Bertæ, neutram potest ducere. *ibid. num. 8.*

123. Ex matrimonio rato invalido confurgit impedimentum publicæ honestatis, modo non sit invalidum defectu debiti consensus, ut est matrimonium amentium & puerorù, & matrimonium contractum per metum gravem, vel per errorem personæ, aut cum persona incerta & indeterminata, aut sub conditione de futuro, antequam adimpleatur conditio: aut inter impuberes, nisi malitia suppleat aratem; secus dicendum de matrimonio contracto sine Parocho & testibus; non enim videtur deesse consensus. *ibid. n. 11. & seq.* Ob eandem rationem.



124. Matrimonium celebratum cum impedimento di-  
miente, inducit impedimentum publicæ honestatis *Ibid. n. 19.*
125. Impedimentum publicæ honestatis differt à cetero  
impedimenti, quod cetera supervenientia sponsalibus di-  
mant sponsalia, publica verò honestas, superveniens non de-  
solvat illa *Ibid. num. 21.*
126. Ad Summum Pontificem pertinet dispensare in impe-  
dimento publicæ honestatis: ad illum enim pertinet dispen-  
sare in jure communi. *Ibid. num. 22.*

*Impedimentum affinitatis.*

127. Affinitas est vinculum seu propinquitas, vel attinen-  
tia quarumdam personarum proveniens ex carnali copula li-  
cita, vel illicita. *Ibid. punct. 12. num. 1.*
128. Consanguinei Caii qui copulam habuit cum Bertæ,  
non fiunt affines cum consanguineis Bertæ. *Ibid. n. 2.*
129. Affinitas non generat affinitatem, ita ut Titius mari-  
tus Bertæ possit ea mortua ducere illam quæ fuit uxor fratris  
Bertæ. *Ibid. num. 3.*
130. Duplex est affinitas; alia dicitur in linea recta & æqua-  
li, alia in linea transversali. Vide dicta de consanguinitate. *Ibid.*  
*num. 4.*
131. Stipes affinitatis sunt duæ illæ personæ quæ se carna-  
liter cognoscunt, suntque principium affinitatis. Affinitas di-  
rimit matrimonium saltem jure Ecclesiastico (difficultas ce-  
nim est de jure naturæ,) sive consurgat ex copula licita, sive  
ex illicita. *Ibid. num. 5. & 6.*
132. Validum est matrimonium jure naturæ contractum  
cum concubina patris, cum uxore fratris mortui, & contra-  
ctum in primo gradu lineæ rectæ. *Ibid. n. 8. & seq.*
133. Ad contrahendam affinitatem requiritur seminis rece-  
ptio intra vas debitum femine, quomodocumque recipiatur,  
sive copula habeatur cum femina invita, sive cum ignorante  
vel dormiente, vel insana, vel ebria, inde enim sequi potest ge-  
neratio. Nulla oritur affinitas, quando sola femina semen e-  
mittit, secus dicendum quando solus vir. Nulla item oritur ex  
congressu spadonum, aut ex actu præpostero extra vas debi-  
tum: aut ex matrimonio tantummodo rato, sed non consum-  
mato. *Ibid. num. 12. & seq.*
134. Contrahentibus scienter matrimonium cum affinibus  
vel



vel consanguineis, constituta est pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. *Ibid. num. 19.*

135. Uterque conjux privatur jure petendi debitum, quando uterque copulam habuit cum consanguineis alterius conjugis, aut unus tantum, sed de consensu alterius. *Ibid. num. 21.*

136. Maritus contrahens affinitatem cum propria uxore innocente, tenetur reddere debitum: nam innocens non privatur jure suo ob crimen alterius. Item maritus, qui factus est affinis cum uxore ante matrimonium consummatum, non tenetur ingredi religionem, quia nullo jure probatur ad hoc teneri. *Ibid. n. 22 & 23.*

*Impedimentum impotentia.*

137. Illa dicitur impotentia perpetua coeundi, quæ non potest removeri arte humana, vel absque probabili vitæ periculo. *Ibid. punct. 13. n. 1.*

138. Illa est impotentia perpetua, quæ non potest auferri absque arte magica, vel peccato, vel miraculo; vel si aliter tolli possit, non potest tamen sine corporali periculo. Unde fit ut matrimonium contractum cum impotente, qui post matrimonium miraculosè liberatus est ab impotentia, non sit validum. *Ibid. num. 2. & seq.*

139. Ex triplici capite oriri potest impotentia perpetua. Primo, ex improportione naturali, ut quando femina ita est arcta, ut non possit à viro carnaliter cognosci: quod si femina arcta, fieri possit apta proprio viro per incisionem, tenetur eam pati etiam cum gravi dolore. Secundo, oriri potest ex nimia caliditate, vel frigiditate, quando nimirum copula propter frigiditatem consummari, & semen emitti non potest. Tertio, ex maleficio perpetuo, facto ad impediendum congressum, & copulam inaritam. Perpetuum dicitur post experientiam triennem, quando præmissis precibus & aliis remediis pro maleficio amovendo, amovere nequiverunt. *Ib. n. 6 & seq.*

140. Conjux non tenetur redire ad priorem conjugem, quando non constat an sublatum sit maleficio, secus dicendum si constet. *Ibid. n. 10.*

141. Quando dubiratur an maleficio præcesserit matrimonium, præsumendum est maleficio fuisse factum, ante matrimonium, & consequenter esse impedimentum dirimens matrimonium. *Ibid. num. 11.*



142. Impotentia perpetua coeundi antecedens matrimonium, dirimit matrimonium, non solum jure Ecclesiastico, verum etiam jure naturæ ex quacumque causa provenit *ibid. num. 12.* Quare

143. Validum est matrimonium cum femina quæ potest semen recipere, quamvis ipsa non seminet, vel non retinet semen susceptum, cum semen femineum non sit necessarium ad generationem. Validum adhuc est quando femina potest reddere debitum, sed non nisi cum gravissimo sanivatis periculo, vel vitæ periculo in partu, &c. non enim est affecta impotentia perpetua. Similiter validum est etiam inter steriles, intercedit enim vera copula apta ex sua natura ad generationem. Idem dicendum de matrimonio contracto à senescentibus, non omnino impotente ad habendam copulam. Secus asserendum de eunuchis perfectis, vel spadone, qui scilicet caret femine apta ad generationem. *ibid. n. 14 & seq.*

144. Conjugibus, quibus constat adesse impotentiam perpetuam, illicitum est petere debitum vel reddere, nec possunt delectari tangendo, osculando &c. *ibid. n. 20.*

145. Triennium quo permittitur conjuges simul habitare ad probandum impotentiam, incipit à die attentatæ copulæ, incipit tamen pro arctatione, quando incipiunt remedia adhiberi. *ibid. num. 21.*

146. Quando unus conjugum ingreditur religionem ex præsumptione impotentia, sed postea cognoscitur error, non debet redire ad uxorem, si professus est ante consummatum matrimonium. Idem dicendum quando uterque conjugum ingreditur religionem ob errorem impotentia præsumptæ ante consummatum matrimonium. *ibid. n. 22. & 23.*

147. Suscipiens sacros ordines ob præsumptionem impotentia, restituendus est uxori petenti, si cognoscatur error, tenebiturque reddere debitum uxori, sed non petere. *ibid. num. 24.*

148. Invalidæ sunt secundæ nuptiæ, quando unus illas celebravit, & alter religionem ingressus est, credens adesse impotentiam perpetuam, quæ tamen non aderat, si matrimonium consummatum fuerat: si non, validæ sunt secundæ nuptiæ, si eas post professionem alterius celebravit. *ibid. n. 25.*

149. Hermaphroditus potest validè matrimonium initiare juxta sexum qui in ipso prævalet: si vero sexus sit æqualis, potest secundum eum quem maluerit, contrahere matrimonium.



nium: quod si semel contraxerit matrimonium juxta unum sexum, peccat, si mortuo conjuge juxta alium sexum matrimonium contrahat: si tamen contrahat, tenet matrimonium. Parochus non debet assistere matrimonio hermaphroditi, in quo uterque sexus est æqualis, donec hermaphroditus protestatus sit coram judice Ecclesiastico cum juramento quem sexum sequi velit. *ibid. num. 26. & seq.*

*Impedimenta non dirimentia.*

Sunt hæc verbis sequentibus contenta:

*Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum,  
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,  
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

150. Per *Ecclesia vetitum*, intellige interdictum, quod est prohibitio, qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia, & contrahens cum hujusmodi interdicto, peccat mortaliter. *ibid. punct. 14 num. 1. 2. & 3.*

151. Vetitum est per Trident *sess. 24. cap. 10.* celebrare matrimonium à primo die Adventus Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à quarta feria Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè; tamen de licentia Ordinarii possunt dictis temporibus celebrari sponsalia & matrimonium sine solemnitate. *ibid. num. 4.*

152. Aliud impedimentum impediens matrimonium contrahendum sunt sponsalia prius celebrata cum alia persona, hinc qui uni promisit matrimonium, non potest alteri nubere, nisi dissoluta fuerint priora sponsalia. *ibid. num. 5.*

153. Tertium impedimentum impediens est catechismus, qui est instructio fidei quæ fit solemniter ante januam Ecclesiæ super baptizando, vel jam baptizato, ex quatenens puerum contrahit cognitionem spirituales imperfectam quæ impedit matrimonium; multi tamen volunt hoc impedimentum sublatum fuisse, nec videtur opus esse dispensatione petenda à Sede Apostolica, sed ab Episcopo. *ibid. n. 6.*

154. Quartum impedimentum est votum simplex castitatis, vel ingrediendæ religionis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi. Vota simplicia Societatis Jesu ex motu proprio Gregorii XIII, irritant matrimonium. *ibid. n. 7.*



155. Uxor quæ vovit castitatem, non videtur posse adulterium condonare viro, ut liberetur vinculo voti, sed potius debet quærere media ut exequatur votum. *Ibid. n. 8.*

156. Quintum impedimentum impediens matrimonium est crimen complectens plura delicta, quæ his verbis comprehenduntur:

*Incestus, raptus sponsata, mors mulieris,  
Susceptus propria sobolis, aut Presbyteralis,  
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem  
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.*

157. Vir qui scienter commisit incestum cum affine seu cognatione uxoris usque ad quartum gradum, non potest mortua uxore sine dispensatione contrahere matrimonium, quamvis incestus sit occultus. Idem dic de uxore. *Ib. n. 9. & 10.*

158. Impedimentum incestus extenditur ad copulam habitam cum consanguinea sponsæ de futuro ob publicam honestatem. Contrahitur similiter impedimentum incestus ab eo, qui mortua propria uxore copulam habet cum consanguinea illius. *Ibid. num. 11 & 12.*

159. Quando uxor occiditur in flagranti delicto adulterii, non inducitur per leges impedimentum impediens, licet sit peccatum. *Ibid. num. 16.*

160. Baptizans vel suscipiens proprium filium, contrahit impedimentum impediens: ita ut mortuo conjugē non possit matrimonium inire. *Ibid. num. 17.*

161. Consuetudine receptum est, ut in impedimentis non dirimentibus possit Episcopus dispensare, excepto voto restituti & religionis absoluto & perfecto. Imo etiam in impedimentis dirimentibus in urgentissima necessitate, & quando impedimentum est occultum, & matrimonium publicum imminetque periculum scandali. Adde, posse adhuc Episcopum dispensare in impedimentis quæ superveniunt matrimonio, & impediunt petitionem debiti. *Ib. punct. 15. n. 3 & 4.*

*Confessarii munus circa impedimentum.*

162. Quid faciendum sit à Confessariis quibus aliquando conceditur facultas dispensandi in impedimentis matrimonii vide tractat. *de matrim. q. 3 p. 15. n. 7.*



163. Confessarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili & culpabili matrimonium invalidè contraxit. Duplex est ignorantia: una juris, quando ignoratur lex prohibens: altera facti, quando nescitur tale factum sub lege comprehendi. *ibid. punct. ult. n. 1. & 2.*

164. Confessarius non tenetur admonere pœnitentem qui invalidè contraxit matrimonium ex ignorantia invincibili juris vel facti, quando nullum sperat fructum ex admonitione; aut quando videt remedium difficillimum esse, & imminere periculum scandali vel notabilis infamiæ, vel damni, modo tamen non sit periculum damni communis. *ibid. nu. 4.*

165. Confessarius non potest absolvere pœnitentem ignorantem matrimonium esse invalidum, quando alia de causa non vult reddere debitum: nam hujusmodi pœnitens est in statu peccati, cum credat se injustè denegare debitum: neque potest Confessarius in hoc proposito ei præcipere ut reddat. Ex quibus patet Confessarium non habentem spem emendationis, non teneri admonere pœnitentem, qui ex ignorantia invincibili injustè possidet primogenituram, aut exercet contractum illicitum, aut ignorat ea quæ sunt de jure divino, aut naturali. *ibid. n. 5. & seq. Item*

166. Confessarius qui novit in confessione aliquos contrahuros invalidè matrimonium cum ignorantia invincibili impedimenti, non debet illos admonere, quando non sperat admonitionem profuturam. *ibid. n. 8.*

167. Confessarius potest cognoscere aliquem laborare ignorantia invincibili, curando intelligere prudenter an pœnitens credat se esse in bono statu, vel an habeat dubiam conscientiam: caveat tamen ingerere pœnitenti dubium aliquod malæ fidei. *ibid. n. 10.*

168. Confessarius vel alius, tenetur aperire veritatem, quando pœnitens dubius interrogat ipsum de aliquo impedimento, quamvis credat se nihil profuturum, alioqui censeatur approbare errorem. *ibid. n. 11.*

169. Parochus, vel alius Sacerdos potest & tenetur negare matrimonium illi, quem scit extra confessionem irretitum esse aliquo impedimento etiam occulto, quamvis ille publice petat matrimonium, aut neget impedimentum. *ibid. n. 13.*

170. Confessarius non tenetur petere licentiam à pœnitente, ut illum admoveat extra confessionem de impedimento dirimente, saltem si commodè nequeat petere, vel admonere. *ibid. n. 14.*

D d

171. Paro-



171. Parochus potest dissimulare, & conjungere illud matrimonium, quos novit obtinuisse dispensationem in conscientia qui quando nullus est, impedimentum ipsum denuntiet, *ibid. n. 15.*

*Matrimonii usus licitus & illicitus.*

172. Conjuges, regulariter, peccant mortaliter non reddendo debitum alteri conjugi petenti expressè aut tacite nisi habeant justam causam denegandi debitum. Unde peccat ille conjux mortaliter, qui se mediis illicitis, aut immoderata vitæ asperitate & notabili jejuniis reddit impotentem ad reddendum conjugale debitum; non potest etiam diu abesse sine alterius conjugis consensu, aut sine aliqua necessitate. *ibid. quest. 4. punct. 1. n. 1. 2. & 3.*

173. Obligatio ad reddendum debitum intelligitur, saltem incolumitate personæ, seu salva subjecti consistentia: quare conjux laborans febre, non tenetur reddere debitum; nec statim post prandium, aut si unus sit sanus, & alter profusus, estque periculum infectionis. Item nec femina qui moreretur in partu, si conciperet, aut experta est se non posse se filios vivos parere, & ipsa consequenter graviter periclitatur. *ibid. n. 14 & seq.*

174. Conjux per se loquendo non peccat non reddendo debitum alteri conjugi petenti tempore furoris vel ebrietas: non enim censetur petere humano modo. *ibid. n. 10.*

175. Vir non peccat, petendo debitum ab uxore lactante sobolem; si tamen uxor advertat inde lac futurum perniciosum proli, excusatur si neget, maxime si sit pauper: non excusaretur tamen si id faceret ne multiplicentur filii; secundum quod videndum si præ paupertate non possit filios alere, & nullum periculum incontinentiæ in altero conjugis. *ibid. n. 11 & seq.*

Conjux nocens tenetur transacto bimestri reddere debitum innocenti petenti, cum quo affinitatem contraxit; & etiam ante matrimonium fuit consummatum. *ib. punct. 2. n. 1.*

176. Baptizans vel suscipiens proprium filium ex Baptismo extra necessitatem, privatur jure petendi aut reddendi debitum. *ibid. num. 3.*

177. Uxor committens incestum cum consanguineo viro in primo vel secundo gradu, sed à viro coacta, non privatur jure petendi debitum. *ibid. num. 5.*



178. Is qui factus est affinis, vel cognatus spiritualis alteri ex ignorantia pœnæ, non privatur jure petendi debitum, quamvis fortè haberet scientiam juris vel facti. *ibid. n. 6.*

179. Duobus modis petitur illicitè debitum conjugale, vel propter defectum tenentem se ex parte ipsius personæ petentis, v g si obstrictus sit voto castitatis, vel ob circumstantiam tenentem se ex parte actus, ut quando quis petit debitum in Ecclesia, &c. *ibid. punct. 3. num. 1.*

180. Conjux potest & tenetur reddere debitum alteri conjugi petenti illicitè ob solam circumstantiam personæ, modo petens habeat jus petendi; non potest tamen reddere ob circumstantiam actus reddentem ipsum actum illicitum, & consequenter non potest reddere jure petenti in loco sacro, extra magnam necessitatem. *ibid. num. 3. 4. & 5.*

181. Vir potest petere & reddere debitum uxori, quam scit obstrictam esse voto castitatis, etiamsi ipse voto consenserit; imo petitus adhuc reddere tenetur, etiamsi uterque habeat votum castitatis; modo uterque non intenderit renuntiare juri suo petendi, aut reddendi debitum. *ibid. n. 7. & 8.*

182. Probabile videtur debitum reddendum esse petenti cum solo peccato veniali; secus si petatur illicitè modo indebito, aut tempore menstrui. Imo adhuc videtur probabile, reddendum esse debitum petenti illicitè quoad situm, intra vas tamen naturale, si adsit causa rationabilis, & justa. *ibidem num. 9. & seq.*

183. Uterque conjux potest petere & reddere, quando post matrimonium bona fide ab utroque contractum suboritur scrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii: quia scrupulus non est sufficiens ratio ad privandum hominem jure suo. *ibid. punct. 4. num. 2. Vide v. Divortium.*

184. Conjux, qui bona fide contraxit matrimonium, & postea dubitat de valore matrimonii, non potest petere debitum antequam adhibuerit debitam diligentiam ad assequendam veritatem: adde, dubitantem de invaliditate matrimonii, teneri reddere debitum non dubitanti. *ibid. n. 3. & 4.*

185. Dubitans de valore matrimonii potest petere & reddere debitum, etiamsi post diligentiam adhibitam veritas non sit comperta; non potest tamen uxor ante adhibitam diligentiam reddere debitum viro petenti, quando uterque dubitat de valore matrimonii. *ibid. nam. 5. & 7.*

186. Conjux, qui mala fide contraxit, dubius de aliquo



impedimento dii in mente, non potest petere debitum, nisi postea cognoscat, vel probabiliter opinetur, nullum subesse impedimentum *Ibid. num. 10.*

187. Non potest peti vel reddi debitum, quando uterque conjux mala fide contraxit matrimonium, dubius de matrimonii validitate. *Ibid. num. 11.*

188. Conjux, qui bona fide contraxit matrimonium, & postea incipit opinari matrimonium invalidum esse, non potest petere debitum, nisi forte habeat opinionem probabilem pro utraque parte, scilicet validitate & nullitate: tenetur tamen conjux, qui opinatur matrimonium esse invalidum, reddere alteri conjugi bonæ fidei, quia non potest eum privare parte suo. *Ibid. num. 13 & 15.*

189. Conjux, qui certò moraliter novit adesse impedimentum dirimens, non potest petere, vel reddere debitum.

Similiter si sciat matrimonium esse invalidum, non potest reddere debitum conjugi ignorantem invaliditatem matrimonii. *Ibid. num. 16 & 17.*

190. Quando constat matrimonium esse invalidum, sed hoc non potest manifestari absque periculo; conjux consequens petat dispensationem impedimenti, si sit dispensabile, aut fugiat in locum ubi cessat scandalum, aut petat divortium, si adsit justa causa petendi, aut habitet cum conjuge, ac si esset foror, modò tamen non adsit periculum incontinentiæ. Conjux regulariter loquendo, non tenetur credere alteri dicenti matrimonium esse invalidum, etiam si id asserat cum juramento, modò aliunde id sufficienter non constet. *Ibid. n. 18. & 19.*

191. Conjux non tenetur abstinere à matrimonio contracto, quando impedimentum adesse cognovit ab amico, vel à Parocho, si unus tantum attestetur; tenetur tamen dubitare, consequenter non petere debitum. *Ibid. n. 20.*

192. Non peccant mortaliter conjuges post contractum matrimonium omittendo benedictiones sine contemptu. Fieri debent à Parocho sponsi vel sponsæ, aut ab alio de illius licentia. In secundis nuptiis non videntur recipiendæ, absolute tamen recipi possunt. *Ibid. punct. 6. n. 2. 3. & 4.*

193. Conjunctio naturalis facta modo indebito, est peccatum mortale, quoties intervenit tanta inordinatio, ut sequi non possit generatio, quæ est finis copulæ, *Ibid. p. 13. n. 2.*

194. Ut actus matrimonialis licitus sit ac mentorius, hæc servanda:



Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohere,  
 Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

Pro horum explicatione repete superius dicta, & consule  
 que dicuntur. *ibid. punct. 6. num 7.*

195. Uxor non tenetur reddere debitum viro petenti tem-  
 pore menstrui; habet enim tunc actus quamdam turpitudi-  
 nem. *ibid. num. 10.*

196. Secluso abortus periculo non videtur illicitum acce-  
 dere ad uxorem gravidam. Est autem periculum abortus,  
 maxime tempore coagulationis & formationis fœtus, &  
 proximè ante partum. Quod si vir accedendo ad uxorem sit  
 causa abortus fœtus animati anima rationali, incurrit irre-  
 gularitatem. *ibid. nu. 13. & seq.*

197. Peccat mortaliter vir, qui copula incepta desistit à  
 feminando, quando uxor jam feminavit; non tamen uxor,  
 que potest se tactibus excitare donec feminet, quando vir  
 postquam feminavit se retrahit ante illius feminationem.  
*ibid. n. 15. & 16.*

198. Senex quando habet probabilem spem feminandi in-  
 tra vas femineum, potest coire, conando feminare; utitur  
 enim jure suo, quamvis semen fortasse involuntariè funda-  
 tur extra vas debitum. *ibid. num. 18.*

199. Pollutio inter conjuges extra vas debitum habet spe-  
 ciem adulterii, quia non servant fidem mutuo datam de cor-  
 pore sibi castè custodiendo. *iqid. n. 19.*

200. Uxor tenetur sequi virum, quando nullum extat pa-  
 ctum in contrarium, nisi causa alia legitima subfit. Non po-  
 test tamen vir, qui cum uxore fecit conventionem non trans-  
 ferendi aliò suam habitationem, eam aliò transferre. Quod si  
 pelleretur in exilium, uxor tali casu teneretur eum sequi; est  
 enim infortunium & onus adnexum matrimonio. Tenebitur  
 adhuc uxor eum sequi, si vir tempore matrimonii solebat  
 vagari. *ibid. num. 21. & seq.*

201. Maritus non videtur posse abstinere à cohabitatione  
 uxoris, propter dotem sibi promissam, sed non solutam; nam  
 obligatio cohabitandi non oritur ex dote soluta. *ibidem*  
*num. 27.*

202. Die festo, vel tempore Quadragesimæ licitus est usus  
 matrimonii. *ibid. nu. 30.*

An autem licitus sit eo die, quo sumenda est Eucharistia,  
 vid. v. *Eucharistia.*



203 Motus sensualitatis primò primi, id est repente surgentes, & omnem rationis considerationem prævenientes non sunt peccata, cum in se ipsis non sint voliti, nec causa; motus verò sensualitatis secundo primi, id est qui procedunt primò primis, & prævideri ac caveri potuerunt, sunt peccata, si proveniant ex causa non habente ullam bonitatem vel utilitatem; repugnant enim rationi, & incitant ad ulteriorem libidinem: quod si causa sit tantummodo venialiter mala, motus erunt etiam tantummodo veniales; & ut huiusmodi motus sint peccata, requiritur advertentia, aut expressa aliqua dubitatio secundum rationem malitiæ, & consensus directus & expressus, ut sint mortalia; & indirectus, ut venialia. *ibid. punct. 7 n. 3. & seq.*

204, Major quantitas motuum requiritur ad peccatum mortale, quando consensus est virtualis, & interpretativus, quam quando est directus & expressus, *ibid. num. 8.*

## A D D I T I O.

Quocumque tempore, quocumque casu, etiam per vim si matrimonium consummatum sit, non solvitur per prohibitionem. Covar. *l. c. c. 7. §. 7. c. 4. num. 10.* Val. *l. c. vers. secundum* Sanchez *l. c. disp. 22. n. 4.*

Ad consummationem requiritur viri seminatio intra vas, etiam si id non rumpat. Vival. *l. c. d. 20. q. 5. p. 3.* Sanchez *lib. 2. disp. 21.* quidam tamen putant, semen etiam mulieris debet concurrere.

Si alter conjugum consentiat, & continentiam voverit, vel religionem ingrediatur, potest alter religionem ingredi vel ordinem accipere. Non debet quidem fieri sine Episcopi auctoritate, sed sine ea tamen factum tenet. vid. *gloss. 27. q. 1. §. vir.*

In dubio, an prior conjunx vivat, non est separandum matrimonium: Judicis enim arbitrio relinquitur, an mors prioris satis probetur, ut quis possit secundo contrahere. Leg. Sanchez *l. 2. d. 41.* Nav. *c. 22. n. 56.*

Vir uxorem potest leviter verberare, causa correctionis, atrociter non potest Nav. *l. c. nu. 18.* Sot. *l. 5. q. 6. art. 2.* Lopez *p. 1. cap. 53.*

Impedimenta dirimentia matrimonium sunt hæc:

Error



*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Sis affinis, si fortè coire nequibus.*

Error personæ non qualitatis, vitiat matrimonium.

Error conditionis respicit servos & liberos, & contrahentes deterioris meliorive conditionis effectos, inter quos ut consistat matrimonium, vid. Tolet in Comp pag. 378.

Matrimonium contractum post votum solemne ordinis, aut religionis approbatæ, nullum est. Clericus & monachus contrahentes sunt excommunicati.

Cognatio triplex est, spiritualis, legalis, & naturalis: de quibus vid. Comp. Tol pag. 379.

Matrimonium, post solemne votum irritum esse, est de fide. Conc. Trid. sess. 24. c. 9. de matrim. Ordini sacro, statuto Ecclesiæ, annexa est castitas, at solemne votum religionis matrimonium præcedens suapte natura illud irritat (leg. Sanchez lib. 7. d. 26.)

De consanguinitate vid. Com. Tol pag. 380 ut & de ceteris impedimentis. pag. seqq.

Uxorum pluralitatem non posse ab Ecclesia permitti, docet Abul. q. 36 in cap. 19. Matth. c. gaudemus, de divor. & Aug. Triumphus. q. 52. art. 3. de pot. Papa. Abul. q. 37. l. c. Unam mulierem plurium uxorem esse non posse, Perer. d. 7. in cap. 29. Genes. & Sanchez lib. 7. d. 80. Abul. q. 35. l. c. probabile putat, infideles plures uxores habentes amore proliis consequendæ, hoc tempore non peccare, quod alii negant. Matrimonium infidelium conjugum susceptione baptismi utriusque sacramentum effici, sine novo consensu, probabilissimum est, rationes & testimonia Doctorum recensentur à Victor, in hunc lectum.

Si femina seminare nequeat, possit autem viri semen recipere, non adest impedimentum impotentiae; sed, si tam arcta est, ut nulla ratione semen intra vas recipere queat. Qui penetrat vas muliebri, sed semen non effundit, aut si effundit, non potest in vas, ineptus est ad valide contrahendum, dum vitium perpetuum est. vid. Sanchez disp. 92. lib. 7.

Incestus cum consanguinea uxoris restrictus est usque ad secundum gradum, inclusive: Concil. enim Trident. sess. 24. c. 4. affinitatem ex copula illicita ad secundum gradum revocavit. Sanchez lib. 7. d. 15.



Quæres: An resp. Ethnica etiam statuere possit impedimenta matrimonii. Resp. posse, ut habet D. Thom. *in suppl.* q. 50. & Victor. *part. 2. relict. de matrim.* Ratio, quia ideo Ecclesia potest impedimenta matrim. statuere, quia reddere potest illegitimas personas ad matrim. at, &c. Minor probatur. Quia ad rectam gubernationem reip & pacem civilem pertinet, ut omnes contractus civiles, præsertim hi, cum sint indissolubiles, certis legibus contrahantur.

Quæres: An magistratus Christianus civilis possit istiusmodi impedimenta statuere. Resp. Non posse. Rat. Quia illud prohibitum est in Can. ab Ecclesia, quæ sibi hanc dirimentem matrimonii potestatem reservavit, quia scil. matrimonium est sacramentum, iudicium verò de sacramentis non pertinet ad remp. civilem, vid. S. Thom. *in suppl.* Palud. *q. 2. 4.* & Victor. *l. cit.*

Quæres: An causæ matrimoniales pertineant ad magistratus politicos. Resp. Certum est causas matrimoniales, quæ sunt omnino politicæ, ut de dotibus, successioneibus, pertinere ad politicum. 2. Causas matrimoniales merè spirituales pertinere ad solam Ecclesiam.

Quæres: Ad quos iudices Ecclesiasticos referendæ sint causæ matrimoniales. Resp. Olim ad Episcopos, abbates, archidiaconos, aliosque inferiores: *c. aud. ta. de prescript.* Nunc autè ad Episcopos sunt referendæ, ut definit Conc. Trid. *c. 24.*

Quæres: An possint referri ad Vicarium Episcopi. Resp. Posse, si quis ac Episcopo generalem habeat commissionem.

Quæres: Quò referendæ sint Episcopo defuncto. Ad Capitulum, ut habet Covar. *p. 2. c. 8. §. 12.*

Quæres: An disparitas fidei sit matrimonium, & dirimat contrahendum. Resp. Impedire contrahendum, ita ut peccet mortaliter, qui contrahit cum hæretica, non tamen dirimere contractum, ut docet S. Thom. *in suppl.* q. 59. *art. 1.* & Covar. *2. p. cap. 6. §. 11.* Probat etiam *ex can. decrevit. de hæretic. in 6. 2.* quia Ecclesia numquam talia matrimonia irritavit, sed tantum illicita esse declaravit, ergo sine peccato gravissimo iniuri non possunt.

Habere rem cum conjugè propria, tamquam cum non sua, mortale peccatum est.

Cum uxore gravida, cum periculo notabili abortus, rem habere, mortale peccatum est, si cum nullo aut parvo, veniale,



veniale, nisi id fiat, ad vitandam incontinentiam. Menstruatam cognoscere veniale crimen; in menstruo perpetuo, & periculo incontinentiæ, nulla culpa. Uxor menstruata non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, conjugæ de menstruo admonito. Non est tamen mortale, si petat.

Virum sodomiticam copulam cum uxore inchoantem, ut se excitet, vel ut majori voluptate fruatur, animo eam perficiendi in vase, venialiter delinquere, putat Nav. mortiferè Sanchez: & rectè, turpitudò enim illa neque ex se, neque ex viri intentione in conjugalem copulam referri potest. *lib. 9.*

*d. 17.*

Quidam non improbabiler dicunt, lethalem culpam esse, cognoscere uxorem succumbendo, vel præposterè in vase naturali, Sanchez & alii venialem, si generatio non impediatur. *Leg. disp. 16. l. 6.*

Non est necesse, ut in actu conjugali, utriusque conjugis semen simul effundatur: unde vir citius effundens uxoris seminationem expectare non tenetur, & potest, si velit, non desistere à copula, donec uxoris seminatio accidat, & potest uxor peracta statim viri seminatione, tactibus seminis sui effusionem procurare, hoc enim actus conjugalis perfectio videtur. Ex Sanchez *d. 17. lib. 9.*

Dimittentes uxores, & vagantes, peccant, nec sunt absolvendi, nisi firmiter saltem proponant se sine mora ad eas redituros: interdum tamen possunt invicem separari: 1. ob adulterium, 2. cum alter conjugum alterum ad peccatum trahit, 3. cum alter infidelis, vel hæreticus fit, 4. cum vicissim consentientes ambo castitatem vovent.

Copulam habere in loco sacro, mortale crimen, nisi conjuges coacti diu ibi morentur. Sylv. dicit licere copulam, ad vitandam incontinentiam, & tunc Ecclesiam non pollui, alias esse peccatum.

Tactus ante copulam inter conjuges nullum peccatum; sine copula, veniale, cum timeretur pollutio extra vas, vel cum sunt in hunc finem.

### Mendacium.

Vide v. *Juramentum.*

1. Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione

D d 5

fal.



fallendi, seu dicendi falsum. Contingere potest quatuor modis: quando quis affirmat aliquid esse quod verè non est, & ipse cognoscit esse; vel negat aliquid esse quod verè est, & ipse cognoscit esse; aut quando scienter dubium pro certo affirmat; aut quando affirmat certum pro dubio. Si mendacium consideretur ex parte finis ob quem committi solet, triplex est; jocosum, quod committitur causa delectationis; officiosum, quod committitur dum intenditur bonum utile alterius, vel fuga alicujus damni; & perniciosum, quod committitur intentione nocimenti alterius; & illud est pessimum, & peccatum mortale ex suo genere, nisi excuset parvitas materiae, vel indeliberatio. *tom. 2. circa octavum Decalogi praeceptum, disp. 10. q. 1. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Omne mendacium est peccatum intrinsecè malum, quamvis non semper mortale, ut patet de mendacio jocolo & officioso, licet multiplicetur & proferatur à viro gravissimo, secluso tamen gravi scandalo, & juramento. *Ibid. punct. 2. n. 1. & 3.*

3. Femina non est rea mendacii, dum bonis artibus & mediis aliis licitis defectum virginittatis tegit, & tamquam virgo matrimonium contrahit, tueretur enim illa jus suum; secus dicendum de hypocrita, qui vitæ sanctitatem fingit, peccatq; mortaliter dum proximo ex tali fictione notabile damnum sequitur. *Ibid. num. 8. & 9.*

4. Qui habitu & vestibus mentitur sexum præciso scandalo, aut malo fine aut aliis circumstantiis, non peccat mortaliter, quia hoc non est mendacium perniciosum. *Ibid. n. 10.*

## A D D I T I O.

Mendacium officiosum etiam in judicio veniale peccatum est, item quod fit in re parva etiam confessione, etiam si id quidam negent, dicentes esse mortale. D. Thom. 2. 2. q. 10. Ita Azor. l. 5. c. 28. Sot. de rat. teg. mem. 2. quæst. 7. concl. 2. Confessione) vid. Sot. l. c. & l. 5. q. 6. art. 1. Val. dist. 5. q. 13. art. 4. p. 3. Negat Cajet. q. 110 art. 4. & q. 69. art. 1.

Mentiri in concione in pertinentibus ad doctrinam ajuat semper esse mortale, alii non semper; quod intellige, si sit materialis levis. Ajunt Cajet. ver. mendacium Syl. ver. eod. n. 4. vid. Fum. eod. num. 2. 2. Si id concionator sciens faciat in doctrina fidei, morum, miraculorum, vaticiniorum. Navar. c. 25. nu. 14. Cajet.



Cajet. 2. q. 100, art. 4. in fin. D. Thom. 1. 6. ad 1. ita de mendacio & doctrina.

Perenti quæ ei reddidisti, potes negare te accepisse, scilicet sic ut ei debeas nunc; & perenti totum, cum solum partem debeas, negare debere te, scilicet quantum petit.

Quidam dicunt eum, qui non tenetur respondere ad intentionem rogantis, posse respondere aliquid, subintelligendo id non esse, scilicet, ita ut ei dicere teneatur, vel se non habere, scilicet, uti det. Alii id non admittunt. vid. Syl. loc. cit.

## A D D I T I O.

## Metus.

Vide v. *Contractus*.

Metus justus, seu cadens in constantem virum, est, quo probabiliter quis sibi aut suis timet grave malum, excusatque feminam minor metus, quam virum. De metu multa Azor. l. c. Syl. *vers. metus*.

Metus justus excusat à peccato mortali, in lege humana, & iis quæ requirunt consensum liberum, ut voto, & matrimonio; tollit obligationem, cum ab aliquo ad hæc facienda incutitur. Quidam tamen putant, in voto manere obligationem si quis habuit animum se obligandi, ut maneat in iuramento. Peccato) Fum. *excom.* 59. Syl. *ead.* 5 q. 14. Azor. c. 11. q. 1. & alii. Cajet. Adrian. & Canonum periti negant. Voto) c. *Pralatum, de iis, quæ vi, met.* Azor. l. c. q. 6. *cas.* 7. Syl. *metus nu* 8. *Matrimonio*) Azor. l. c. q. 5.

Juramentum metu extortum, servandum, vel petenda dispensatio. Azor. l. c. q. 12. *excom.*

Quicumque metus, etiam minor justo, est causa principalis actus, sine qua non fieret, illum annullat coram Deo, ut promissionem, votum, & matrimonium, secundum quosdam, quod Em. Sa non omnino tutum videtur. vid. Azor. l. c. q. 16. & 17.

Qui justè metum incutit, non dicitur vim facere, ut ideò contractus debeat censeri nullus. Vid. Azor. c. 10. q. 11. Syl. *metus* q. 6.

ADDI-



## A D D I T I O.

Minor.

Vide etiam v. *Contractus*.

Minor ingressus religionem potest bona sua alienare, velut enim moritur, modo sit doli capax. *Fum. vers minor. 2. Styl. eodem.*

Minor in spiritualibus agit, ut major, itaque tenet renuntiatio ab eo facta beneficii. *Mol. d. 220. colum. 1024.*

Minor ante vigesimum annum non potest accusare, nisi ob sui aut suorum injuriam, nec ante vigesimum quintum esse procurator in judicialibus, nec ante decimum septimum in extrajudicialibus.

Spurio non datur à lege tutor, pater aut mater, sed à iudice naturali datur.

Missa.

Vide v. *Eucharistia*.

1. Missa, seu Missæ sacrificium est ceremonia sacra, qua res aliqua sacratur, aliquo modo consumitur, & soli Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremæ majestatis & excellentiæ. *tom. 1. de Sacramento Eucharistia, disp. 4. quest. ult. punct. 1. num. 3.*

2. Missa quoad substantiam instituta fuit à Christo in ultima cœna; quoad ceremonias verò instituta fuit ab Ecclesia, ex *Trident. sess. 22. ibid. num. 4.*

3. Partes essentielles sacrificii Missæ sunt, consecratio, oblatio, & consumptio; unde non fit sacrificium, quando Sacerdos populo ostendit hostiam pridie consecratam, neque fit propriè sacrificium in feria sexta Parasceves, cum non adsit nova hostiæ consecratio. Secus dicendum, quando unus Sacerdos perficit Missam ab altero inchoatam, aut quando Sacerdos reposit hostiam consecratam in sacrario, & ipse sumit hostiam ab altero consecratam. *Ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

4. Ad essentiam sacrificii non videtur requiri sumptio & consecratio utriusque speciei, cum sacrificium Christi cruentum



hæc representari possit per alteram tantum speciem. *Ibid. n. 7.*  
 5. Effectus sacrificii Missæ sunt, conferre gratiam, & remittere peccata certo modo; impetrare nobis bona, quæ petimus & satis facere pro peccatis: ex quibus constat sacrificium esse propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium. *Ibid. punct. 3. n. 2, 6. & seq.*

6. Valor sacrificii quatenus offertur à Sacerdote, non est infinitus intensivè, alioqui sequeretur uno sacrificio posse totum purgatorium exhaustiri; valor tamen generalis Missæ est infinitus extensivè, id est, non tot prodest, quin possit prodesse pluribus, *Ibid. punct. 4. num. 3. & 5.*

7. Missa ut sacrificium est, valorem accipit ex opere operato, prodestque omnibus ex opere operato: prodest enim ultra meritum & dispositionem fidelium; non tamen omnes æqualiter participant fructus sacrificii, sed inæqualiter juxta majorem vel minorem cooperationem ad sacrificium, & uniuscujusque devotionem. *Ibid. num. 7. & 8.*

8. Missæ sacrificium potest & applicari debet fidelibus in hac vita degentibus, sive iusti sint, sive peccatores: potest similiter offerri pro infidelibus & paganis, ut convertantur: prodest etiam defunctis existentibus in purgatorio: ira habetur in Trident. *sess. 22. cap. 2.* Beatis verò non prodest; nisi quatenus per ipsum coluntur, & honorantur: idcirco dicitur Missa de aliquo Sancto. *Ibid. punct. 5. num. 1. & seqq.*

9. Damnatibus in inferno existentibus non prodest Missæ sacrificium, quia in inferno nulla est redemptio. Unde patet sacrificium non esse offerendum pro eo, quem constat mortuum esse in notorio peccato mortali: neque similiter pro parvulis cum solo originali ex hac vita decedentibus. *Ibid. n. 9. & seq.*

10. Quæres, cuinam prodest fructus sacrificii, qui fuit applicatus incapoci? Alii volunt hujusmodi fructum reponi in thesauro Ecclesiæ; & alii putant prodesse ipsimet oranti. *Ibid. n. 12.*

11. Missæ sacrificium celebrandum est à Sacerdote habente intentionem celebrandi, valetque sacrificium celebrantis in peccato mortali, quatenus nomine Christi & Ecclesiæ offertur; & sub hoc respectu Missa mali Sacerdotis tam prodest aliis, quàm si à bono celebraretur: satisfacitque Sacerdos, qui pro celebratione stipendium accepit, celebrans in peccato; applicat enim fructum quem tenetur applicare, tamquam minister publicus: imò verò sacrificium factum ab excommunicato



to non vitando prodest aliis fidelibus ex opere operato; et re-  
culaturque interdum excommunicatus, vel irregularis, si ce-  
lebrat, quando alioquin incurreret gravem infamiam, vel  
mortis periculum, vel aliud grave detrimentum non cele-  
brando *ibid. punct. 6. num. 1. & seq.*

12. Probabile est simplicem Sacerdotem legitime non im-  
peditum mortaliter peccare, si numquam celebret toto anno  
contra Cajetanum, asserentem Sacerdotem numquam cele-  
brantem peccare solum venialiter. *Ibid. punct. 7. num. 1.*

13. Sacerdotes curam animarum habentes, tenentur per se,  
vel per alios celebrare, singulis saltem diebus, quibus popu-  
lus tenetur Missam audire; non tenentur tamen illi sacrificii  
fructum semper applicare: locus dicendum de Capellano, qui  
tenetur juxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fun-  
datoris Missas celebrare; ita ut si Capellania instituta sit ad ce-  
lebrandum quotidie, tenetur quotidie sub mortali celebrare,  
salva tamen honestate, decentia, & nisi adsit legitimum im-  
pedimentum. Huic obligationi celebrandi potest per alium  
suppleri: nisi mens fundatoris fuisset obligare ipsummet Ca-  
pellanum *Ibid. n. 4. 5. 6. & 7. & §. 1. num. 1.*

14. Quæres, an Capellanus, qui per alium satisfecit, cum  
ipse nondum esset Sacerdos, teneatur ad restitutionem? Re-  
spond. non teneri, quia tantum exhibuit per alium celebra-  
do, quantum per seipsum exhibuisset: & potest is, qui per se-  
ipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, ob  
impedimentum Missas differre in aliud tempus, possuntque  
Missæ à Titio celebrandæ, ab alio celebrari, Titio ignorante.  
*Ibid. §. 1. n. 2. 3. 4.*

15. Accipientes plura stipendia pro celebratione, non  
posse unico sacrificio omnibus satisfacere, probabile est,  
quamvis plurimi dissentiant, quando stipendia simul sum-  
pta non excedunt quantitatem necessariam ad strictam ipsius  
Sacerdotis sustentationem pro unico die; nec videntur eum  
in conscientia, qui plures a pluribus colligunt stipes, illisque  
unico Missæ sacrificio satisfacere arbitrantur. Neque à for-  
tiori excusantur ii, qui accepta stipe cum promissione sæpius  
celebrandi, unica Missa intendunt satisfacere; aut qui loco  
Missæ integræ applicant solum collectam. Similiter non sa-  
tisfaciunt Capellani, qui detinentur onere Missæ quotidianæ,  
si aliò se conferant ad celebrandum causa exequiarum aut an-  
niversariorum, tenenturque ad restitutionem Missarum quas  
non



non celebrarunt, cum tenerentur: neque potest quis satisfacere oneri Capellanix, cantando Missam conventualem. *Ibid.* §. 2. num. 1. & seq.

16. An vero Sacerdos teneatur totam Missam illi applicare, a quo tenuem accipit stipem, v. g. quinque assium, gravis est dissensio inter Doctores. *Ibid.* num. 8.

17. Missas reducere, & ad minorem numerum revocare, pertinet ad Episcopos in Synodo dicecesana, quando stipendium est exiguum, & adest iusta causa. *Ibid.* num. 9. & 12.

18. Capellanus tenetur quotidie Missam applicare fundatori, si constat de quotidiana obligatione, quamvis non constet de fundatione Capellanix, secus dicendum si clarè non constet. *Ibid.* n. 13. & 14.

19. Quod si Sacerdos duplici obligatione impossibili tenetur, nec potest utrique satisfacere per se, vel per alium, priori satisfacere debet: quia qui prior est tempore, potior est iure. *Ibid.* num. 18.

20. Infideliter ageret is, qui celebraret diversas Missas, si ex promissione, vel fundatione teneatur certas & peculiare celebrare, v. g. de B. Virgine, vel de Requiem. *Ibid.* §. 3. num. 4.

21. Missa conventualis, vel solemnitas videtur graviori cum onere celebranda, juxta ritum in Missali præscriptum, quam privata; cum celebrans ex devotione possit quam velit Missam conficere. *Ibid.* n. 3.

22. Qui suscepit onus celebrandi triginta Missas Sancti Gregorii, pro defunctis, non tenetur singulas de Requiem celebrare, nisi præsertim diebus, quibus officium solemniter celebratur; neque similiter tenetur eas sine interruptione celebrare. In quolibet loco benedicto licitum est Missæ Sacram facere, etiam in oratoriis Confratrum; peccaret tamen alibi celebrando, qui ex conventionem, vel aliquo titulo tenetur in aliqua Ecclesia vel altari celebrare, etiam si id faceret cum consensu heredum, qui non possunt voluntati testatoris derogare, quod si secus faciat, non idcirco tenebitur ad restitutionem. *Ibid.* num. 6. 7. & §. 4. num. 1. & seq.

23. Potestne Episcopus facultatem concedere, ut alibi celebraretur, quam in loco constituto, quando iusta causa id postulat? Respondi posse. *Ibid.* §. 4. num. 4.

Quæres, an peccent Sacerdotes, qui accepta stipe notabiliter differunt celebrationem Missarum? Peccant, si dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum est

Missa



Missæ sacrificium, ut contingit in patientibus graves pœnæ in Purgatorio, &c. Hinc fieri potest, ut Sacerdos teneatur ad restitutionem, si accepit eleemosynam pro impetranda infirmi valetudine, & ipse celebrationem Missæ distulit in tempus, quo infirmus obierat. Caveant igitur Sacerdotes mercenarii, ne multa stipendia congerant pro multis Missis ad longum tempus duraturis. *Ibid.*, §. 5. n. 1. & 2.

24. Sacerdos qui anticipatè celebrat Missas, & non suspendit effectum sacrificii, sed ex tunc applicat sacrificii valorem pro eo qui dabit eleemosynam, satisfacit, & potest accipere eleemosynam pro Missa jam celebrata. Idem dicendum de Capellano, qui per se loquendo satisfacit anticipatè celebrando Missas. *Ibid.* nu. 3. & 4.

25. Potest Sacerdos rationabili de causa bis in die celebrare juxta casus à jure permissos. *Ib.* n. 9. & 10.

26. Sacerdos pro celebratione Missarum potest absque labe simoniæ exigere mercedem per viam juris, aut illam in partem deducere, etiamsi habeat pingue patrimonium, vel beneficium, quia Sacerdos non recipit eleemosynam tamquam pretium rei spiritualis, sed pro sua sustentatione, aut pro labore extrinseco, aut pro obligatione celebrandi hic & nunc. *Ibid.* punct. 8. num. 1. & seq.

27. Quæres, an Sacerdos possit suum valorem specialem, qui sibi debetur, alteri applicare, sicque duplicem stipem accipere? Respond. non posse. *Ibid.* n. 16.

28. Sacerdos qui modico temporis spatio, v. g. quindecim dierum infirmitate laboravit, non tenetur oneri quotidianæ celebrationis per alium satisfacere. *Ibid.* num. 17.

29. Qui plura colligit stipendia pro celebratione Missarum, potestne per alios Sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum, inscio dante, & insciis Sacerdotibus per quos pensum Missarum persolvitur? Respon. satisfacere, modo Sacerdotibus celebrantibus tantam tradat eleemosynam, quantum fert communis taxa; hoc tamen non est consulendum, cum redoleat nescio quid negotiationis, & nimix tenacitatis. *Ibid.* num. 18.

Hora celebrandæ Missæ incipit ab aurora, seu quando accipit illustrari per primam Solis irradiationem, vel paulò antè, quamquam in necessitate licitum est ante auroram, aut post meridiem celebrare. Nec reus est lethalis culpæ, qui una hora cum dimidia Missæ sacrum facit ante Solis ortum, etiam si



am si nondum recitarit officium divinū. *Ib. punct. 9. n. 1. & seq.*

30. Episcopus concedere potest facultatem, ut Missa celebretur in Capella domus privatæ, sed non in mari, vel flumine, ubi periculum imminet effusionis sanguinis; neque sine altari tam firmo, quam portatili consecrato. Quod altare si notabiliter, seu enormiter frangatur, desinit esse sacrum: similiter si frangatur repositorium reliquiarum: nam tunc etiam amittit consecrationem: sicut etiam calix & patena, si ita frangantur, ut non possint inservire ad usum præfixum: aut si amisso auro per usum iterum postea deaurentur quoad superficiem, quæ tangit immediatè corpus & sanguinem Christi: secus dicendum de calice, si cupa separetur à pede absque fractione notabili, ut accidit in calice tornatili, qui non amittit consecrationem. Quare non potest tangi à laicis absq; peccato, sicut nec patena & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt corpus Christi, ut est palla, & corporalia, quæ quoad primam lotionem lavari debent à Diacono, & post lotionem non suat iterum benedicenda. *Ibid. num. 11. & seq.*

31. Præterea requiruntur ad celebrationem duæ mappæ, vel saltem una duplicata. Item vestes sacræ, alba, cingulum, amictus, manipulus, stola, & planeta, quarum omissio præcisa inadvertentia, inducit peccatum mortale, etiam si tantum una omitteretur. Idem dicendum de lumine, quod etiam est necessarium, confectum ex cera; quamvis in necessitate satisfaciat candelabula sebacea, aut etiam lucerna ex oleo. Adhibendus est etiam masculus, qui ministret, cujus loco adhiberi non potest femina ad inserviendum proximè, etiam in necessitate celebrandi, potiusq; celebrandum est sine ministro. *Ib. n. 25. & seq.*

32. Quæres, an Missa celebrari queat materna & vulgari lingua? Resp. quod non. *Ibid. nu. 37.*

33. Defectus, seu error contingens in Missa circa substantialia, id est, circa materiam, formam, & intentionem, aut circa dispositiones Sacerdotis, supplendus est; sive advertatur ante consecrationem, sive post; alioqui sacrificium non perficeretur. Hinc Sacerdos quando sumpta hostia advertit materiam in calice positam, non esse veram materiam, nec adest vinum præsens, curare debet, ut vinum deferatur, si fieri potest absque scandalo; si verò periculum sit gravis scandali, perficere poterit sacrificium in una tantum specie. Quod si post sumptam hostiam repererit nihil esse in calice, vel esse solam aquam, vel alium liquorem distinctum à vino, debet accedere



re ad cornu altaris, simulando se velle purificationem accipere, deinde posito vino in calice, accedere ad medium altaris, ibique consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, & absque elevatione subjungere: *Vnde nos memores Domini offerimus*; sicque sumat species vini consecratas, neque oportet ut reliqua non necessaria suppleat, aut novam hostiæ consecrationem faciat, sed tantummodo vini. Quod si Sacerdos voluit malitiosè hostiam consecrare ante sumptionem calicis, debet post sumptionem consecrare, ob integritatem sacrificii, poteritque materiam non sufficientem, aut non veram deglutire, & postea etiam non jejunus iterum consecrare. *Ibid. par. 10 n. 2. & seq.*

34. Quid verò faciendum, quando animal, vel quid aliud in calicem decidit? Si decidit ante consecrationem, alia materia sumenda est; si post consecrationem, & Sacerdos non potest sine incommodo aut horrore sumere, extrahat, sumatque species consecratas, si non sint veneno infectæ, animalisque postea combusti cineres mittantur in locum sacrum. Imò verò potest Sacerdos vinum veneno infectum, & ex inadvertenti sumptum evomere in vas mundum. *Ibid. n. 8. 9. & 11.*

35. Sacerdos non tenetur barbam abraderè, quoties super illam sanguis Christi cadit, sed sufficit, ut repetita lotionè barbam sedulo lavet. *Ibid. num 10.*

36. Eucharistia quam quis evomit, servanda est, donec corrumpatur; similiter si animal eam comedit, extrahenda erit, si fieri potest, & conservanda donec corrumpatur, & post corruptionem comburenda; sicut etiam ipsum animal comburendum est, & ipsius cineres mittendi sunt in piscinam. *Ibid. n. 10.*

Quando Sacerdos advertit se aliquid spectans ad integritatem formæ omisisse, debet defectum supplere, ut validum efficiat sacramentum, nec satisfacit repetendo solum verbum quod omisit, sed debet totam formam repetere, si alia verba interjecta fuerant. Item debet similiter repetere verba consecrationis, quando dubitat de intentione sufficienti; si tamen prætermisum est aliquid, quod non est de substantia sacrificii, non est ex necessitate postea supplendum cum perturbatione ordinis ab Ecclesia præscripti. Ex quibus colligi potest Missam perfici absque alia iteratione, si hostia cadat in calicem dum frangitur, aut si species vini consecratæ congelentur, quæ tantum calefaciendæ erunt ad motus ad calicem hostiis calidis, ut sumi possint per modum potus. Quod si Sa-



cerdos moriatur ante consecrationem, non est obligatio perficiendi sacrificium; secus dicendum si moriatur, aut infirmetur, aut alio casu impediatur post consecrationem: tunc enim sacrificium perficiendum est ab alio sacerdote jejuno, si adsit; vel à non jejuno, si nullus alius adsit præter non jejunum, qui incipiet ab eo loco, ubi alter reliquit, excepta forma consecrationis, quæ tota ab uno & eodem proferenda est. *Ib. n. 12.*

§ 199.

37. Quæres, quid faciendum sit, quando dubitatur utrum Sacerdos, qui inter celebrandum defecit, consecravit hostiam? Resp. Sacerdotem suppletum debere etiam hostiam sumere, eamque consecrare, simul consecrando sub conditione eam, de qua dubium est an sit consecrata, vel posse novam hostiam consecrare; eam verò de qua dubitatur an sit consecrata, sumere post summptionem utriusque speciei, antequam sumat purificationem. *Ibid. n. 24.*

38. Fideles omnes, adulti, baptizati, diebus festis tenentur ex præcepto Ecclesiastico Missam audire, nisi legitimo detineantur impedimento. Per auditionem Missæ, intellige eam actionem per quam quis interest Missæ humano modo, corpore scilicet & mente. Ex quo sequitur, amentes & ebrios existentes in Ecclesia, dum Missa celebratur, non audire Missam, quia nequeunt humano modo interesse. Similiter non dicitur Missam audire, qui sciens in Ecclesia tali tempore Missam celebrari, mentem suam circa mysteria Missæ applicat, quia non interest Missæ corporaliter; sicut nec is interest mentaliter, qui voluntarie vagatur, advertens se mente vagari. Hæc doctrina extendi debet etiam ad pueros fideles, qui completis septem annis obligantur hoc præcepto audiendæ Missæ; secus dicendum de infidelibus cum non subsint Ecclesiæ. *Ibid. punct. II. n. 1. § seq.*

39. Quæres, an fideles teneantur tres Missas in die Natalis Domini audire? Respond non teneri, sed satisfacere præcepto, si Missam audiant; sive de Sancto, sive de martirio, sive privatam, sive solemnem: peccarent tamen mortaliter, si partem Missæ notabilem diebus festis non audirent, aut si non interessent tribus partibus substantialibus sacrificii, scilicet consecrationi, oblationi, & sumptioni. Per partem notabilem intellige, à principio usque ad Epistolam excludivè, quamvis nonnulli Doctores extendant etiam non improbabiler usque ad Evangelium. Intervientes tamen

Ec 2

Missæ



Missæ satisfaciunt præcepto; licet aliquando recedant à sacrificio, ut deferant necessaria ad sacrificium, modò non recedant ab Ecclesia longo temporis spatio. Idem dicendum de cæco, surdo, & illo qui Ecclesiam adit per metum sibi incussum ab alio, aut animo inspiciendi feminas, qui etiam audiunt Missam, modò assistant cum devotione. Neque tenetur is novam Missam audire, qui eam audivit, ignorans esse diem festum, aut qui unã Missam nõ attentè audivit, animo aliam audiendi. Satisfacit item præcepto Missæ audiendæ, qui tempore Missæ recitat horas Canonicas, aut peccata sua confitetur, modò tamen qui confitetur, habeat intentionem audiendi Missam: qua intentione qui carent, non satisfaciunt præcepto; sicut nec ii, qui notabiliter confabulantur, nugantur, vel dormitant tempore Missæ, aut tempore partis illius notabilis. *Ibid. num. 10 & seq.*

40. Missa cujusvis Sacerdotis licitè & validè audiri potest, quocumque in loco, sive in propria parochia, sive in Ecclesia Religiosorum, sive in oratoriis privatis, sive extra Ecclesiam, modò non adsit aliqua prohibitio in contrarium. *Ibid. par. 12. n. 1 & seq.*

41. Quæres, utrum extraneus, qui pervenit ad aliquem locum, in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio, teneatur Missam audire in eò loco, ad quem pervenit? Resp. non teneri, nisi habeat intentionem ibi manendi majori anni parte, aut nisi dies ille festus celebretur etiam in proprio territorio. *101a num. 5.*

42. Excusantur fideles ab audienda Missa ob impotentiam audiendi, sive physicam, sive moralem; ob grave detrimentum spirituale, aut temporale damnum, proprium vel alienum; ob grave aliquod negotium. Hiuc excusantur cursores, nautæ, muliones, iter facientes, si aliter commodè facere non possint, pastores gregis, custodientes domum, vel præparantes cibos in oppidis, ubi unica Missa celebratur: femina honesta, quæ caret veste conveniente suæ personæ, aut sociâ, aut pedissequa. Similiter excusantur nutrices, quæ secum puerum ad Ecclesiam deferre nequeunt, & ii qui propter inimicos domo securi exire nequeunt. Famuli item aut uxores, timentes rixas & verbera, si ad Missam accedant. Excusantur præterea ii, qui ad Ecclesiam pervenerunt inchoata jam Missa, si non habeant copiam alterius Sacerdotis, aut non præviderint fore, ut non pervenirent opportunè ad Ecclesiam. Excusantur item



Item, qui longius ab Ecclesia distant, si commodè nequeant Missam audire. Item qui vinculis detinentur, aut quibus domus loco carceris constituta est, aut qui domi per vim detinentur, licet in ea habeant oratorium approbatum. Excusantur etiam viduæ ob consuetudinem certo tempore domi se continententes, & puellæ nobiles, quæ domo non consueverunt exire; secus dicendum si solcant exire ad ludos, aut choreas, aut spectacula. *Ibid punct. ult. n. 1. & seq.*

43. Petes, an puella Missam audire teneatur, etiam si credat se ab adolescente lascivo concupiscendam, dum ad Missæ sacrificium accedit? Resp. non teneri, sed potest audire, & uti iure suo. *Ibid. n. 15.*

44. Qui Missam audire non potest, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die Missam audire; sicut nec tenetur partem audire quam potest, qui integram Missam audire non potest, est enim præceptum de audienda Missa, & consequenter de re individua. *Ibid. n. 16. & 17.*

45. Inculpabilis ignorantia & censura excusat fideles ab audienda Missa, & aliquando consuetudo regionis, ut patet in viduis. *Ibid. n. 18. 19. 25. & 26.*

46. Quæres denique, an excusentur feminæ ob menstrua temporalia? Resp. non excusari, præcisa debilitate. *Ibid. n. 28.*

## A D D I T I O.

Hostiam oportet ex tritico confici. certè in alia specie frumenti consecrare non licet. An verò factum teneat, non conveniat inter Doct. De Missa multa Azor *lib. 10. c. 18. Suar. to. 3. ad 73. Tol. l. 2. vid. Fum. Euch. 1. Syl. Euchar. 1. n. 2. Val. de Euchar. à n. 19.*

Potest in necessitate consecrari in musto expresso ex uvis. *Sot. d. 9. q. unic. art. 5. Vival. de Euchar. n. 40. Suar. l. c. dist. 45. sect. 1. col. 3.*

Congelari vini consecrationem tenere quidam ajunt, alii negant. validam putat. Si est enim vinum etiam cum non est congelatum. *Ajunt Syl. Euch. 2. quest. 10. Ang. v. Missæ. n. 23. Sot. dist. 9. q. 1. art. 5. Vival. l. c. de mat. cal. num. 5. Suar. dist. 45. sect. 1. qui tamen cred. t. non licere hujusmodi materiam consecrare, propter dubium Negant. Armil. Euchar. n. 19. Ledesm. q. 15. art. 1. Aub. 1. Alan. l. 1. de Euchar. c. 11.*

Præter corporalia, adhibenda lintea duo, quamquam unum



sufficit, si sit duplicatum: potest & quis, juxta quosdam, necessitate uti profanis lineis, eaque reddere domino (suo) renda. Suar. l. c. dist. 81. sect. 6. col. 1. Syl. Missa, 2. Vienda) neque enim necesse esse benedicta, *ibid.* De calice, & vestibus, Azor. l. c. 28.

Calicem & patenam oportet saltem ex stanno esse, vel plumbo Syl. *vers. calix* Suar. l. c. sect. 7.

Potest quis uti stola pro cingulo, & manipulo pro stola. Vide Suar. d. 82. sect. 2. Azor. c. 28. q. 8. Nav. c. 25. n. 84.

Cingulum non est necesse esse benedictum, secundum Rich. & Sot. apud Navarr. c. 24. n. 84. nec lineum, quo calicem operitur. Suar. l. c. col. 3. ex Concilio Rhemen, inter Sacerdotalia vestes, cingulum etiam numerat, & col. 6. omnes benedictas esse oportere, ait ex *e. vestimenta, de cond. dist. 1* & ex Romano Pontificali Navarr. l. 3. conf. 2. de consec. cinguli benedicti mentionit, Sa sequitur Syl. *Missa* 1. n. 2. & Rich. Cingulum benediciendum est. Nav. c. 25. n. 84. Azor. c. 28. q. 9.

Ex duplicata stola, vel casula seu planeta, possunt fieri due, & ex stola cingulum, sine alia benedictione. Azor. l. c. 28. q. 8. Suar. d. 83. sect. 3.

Cingulum fractum potest necesse, si pars altera non sufficit. Si sufficit pars, adhibeatur: nam si necatur post ruptionem, admittit benedictionem. Suar. l. c. ex Palud. dist. 13. q. 2. & d. 25. q. 3. & Syl. *Benedict.* q. 6. Si vero antequam omnino dividatur, reficiatur, vel aliquo modo connectatur, sufficit ad utrumque. Suar. l. c.

Celebrare sine calceamentis, si absit contemptus, non est mortale peccatum; est autem, si celebretur corporalibus valde immundis. *Calceamentis*) Suar. d. 85. sect. 6. art. 3. Tol. l. c. 2. n. 11. *Est autem*) Syl. l. c. Suar. d. 81. sect. 6. in fin.

Corporalia lavant Diaconi, vel Subdiaconi, itemque purificatoria, & prima ablutio in piscinam mittitur; semel vero ita lota, possunt tradi Monialibus iterum lavanda, & reficienda. Suar. l. c. sect. 7. *Monialibus*) Cajet. *vers. Mulier peccata*.

Potest quis ex causa aperto capite celebrare, vel amictu, vel pileolo, saltem usque ad consecrationem; vitandum tamen scandalum, & debet fieri de licentia Episcopi, c. *nullus, de consec. d. 1. Ex causa*) ut incommoda valetudinis causa, Turret. in cap. *nullus, de consec. r.* Nav. conf. 4. de celeb. Miss. Azor. l. c. 28. q. 10.

Non licet Missam celebrare sine ministro, juxta rubric. Missalis, & Ecclesie consuetudinem, *ibid.* Turret. in c. *hoc qui*



que, de *conf. dist. 1. Azor c. 29. quest. 3. Suar. dist. 87. sect. 1. si ne-*  
*cessitatis aliquis casus, fortuito & extraordinarie accidat, pro-*  
*babile existimat, posse fieri sine culpa. Et magis Sot. dist. 13. q.*  
*1. art. 5. ad 12. Durand. l. 2. de ritib. cap. 15. Grass. l. 2. c. 42 nu. 3.*  
 sed quid femina? Remotè, ait Suar. *l. c.* posse interdum respon-  
 dere Sacerdoti, ut ex choro, sed non proximè ad altare posse  
 de bere ministrare, aquam & vinum præstando, & alia si-  
 milita faciendo ex *c. de cohabit. cler. & mul.*

Celebrare in Parasceve non licet, etsi quidam licere putant;  
 in die Coenæ licet, & Sabbato sancto, *Parasceve) c. Sabbato, de*  
*conf. dist. 3. Suar. dist. 80. sect. 1 ex communi, potest tamen qui-*  
*vis Eucharistiam sumere, ex Amal. Dur. Greg. M. contra Fran-*  
*colin. Die Coenæ) licere privatim celebrare, ait Nav. c. 25. n. 38.*  
 Sot. *l. c. q. 2. art. 2. Suar. l. c. secretò, & sine scandalo, sed negat*  
 Francolin ob contrarium usum, idemque ferè docet Azor *l. c.*  
*q. 5. Sabbatho) Concedit Sot. l. c. Suar. l. c. in fin. licere ob iustam*  
 causam, amoto scandalo, eo die privatim celebrare; idem tra-  
 dit Azor *l. c. qu. 9. dum venia à superiore petatur: at Franco-*  
 lin. *l. c. Nav. l. c. mortale id crimen arbitrantur.*

Pollutio involuntaria non impedit celebrationem Missæ,  
 eo die; pollutus autem voluntariè, si post confessionem cele-  
 bret, peccat, sed non mortaliter *Nisi ex congruentia) Sot. dist.*  
*12. quest. 1. art. 7. col. 1. D. Thom. 3. p. quest. 30. a. 7. Azor c. 31.*  
*quest. 12. lib. 10. Si post) Sine iusta causa, cum scandalo autem*  
 & temeritate, esset fortè mort. pecc. Sot. *ibid. col. 10. vid. Azor.*  
*c. 31. quest. 3.*

Hostia ab animali comesta, si potest extrahi, fervetur do-  
 nec corruptatur, animal verò comburatur, & in piscinam ci-  
 neres mittantur; idemque videtur faciendum, si quis evomat  
 Eucharistiam. vid. Azor. *l. c. q. 8.*

Si hostia calici hæret, aut palato, toties adhibeatur ablutio  
 donec deglutatur. Nav. *l. c. n. 90.*

Post ablutioem si apparent reliquæ, aut particule conse-  
 cratæ, quæ non possint facile asservari, sumi possunt à Sacer-  
 dote, dum adhuc est in altari. vid. Navarr. *l. c. ita Azor l. c. c. 30.*  
*in fin.*

Si sanguis cadat super tabulam, lambatur hæc, & radatur; si  
 super mappam, fugatur, & lavetur, deinde rasura, vel ablutio  
 in piscinam mittatur. Tol. *n. 6. Nav. n. 89 l. c.*

Missæ sicca celebratur sine planeta, cum vestibus reliquis  
 factis, vel superpelliceo, cum stola in modum Crucis, &



candelis: non fit autem conversio ad populum, nec consecratio, nec ea, quæ ad oblationem pertinent.

De Missæ stipendio multa Suar. *dist. 86. sect. 1. 2. 3. 4.*

Cui datur certa summa pecuniæ pro Missis à se dicendis, potest alios pro minori pretio conducere, qui adjuvent, & reliquum sibi retinere; secus est, si accepisset, ut curaret dicendum per alios. Ita Sot. *l. 9. q. 3. art. 1.* Suar. *l. c. sect. 3. in fin.* Contrarium placet Majol. *4. dist. 43. qu. 3. dub. 2.* Nav. *cap. 25. n. 91.*

*Missæ auditio.*

1. Non potest Episcopus cogere ad audiendam Missam aut concionem in Parochia, aut ad discendam ibi doctrinam Christianam *Ex Congreg. Concil.*

De præcepto Missam audiendi Carbo. *de præceptis Ecclesiæ. Azor. l. 7. c. 1.* Suar. *dist. 88.* Nav. *c. 21. à nu. 21.* Tol. *l. 6. à c. 6.*

2. Satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui incipit Missam audire ab Epistola; & secundum quosdam, etiam ab Evangelio: & qui post Epistolam vel Evangelium veniens, legit aut audiat legente, quæ non auditur: & qui tempore Missæ discurret pro rebus Missæ necessariis; & qui præsens est, etiam si non audiat, modò reverenter attendat; & qui partem unius Missæ audit, & reliquam alterius: & qui audiens Sacrum, simul dicit Officium, aut pœnitentiam injunctam, id tamen quidam non admittunt.

Satisfacit) ut non peccet mortaliter.

Epistola) etiam exclusivè Sot. *dist. 13. q. 2. a 7. cum Ant. 2. p. 8. q. c. 10. §. 1.* Tabie *v. Missa, num. 10.* Syl. *v. Missa, q. 1.* Sandoval. *De offi. Eccle. p. 6. c. 4.* Suar. *d. 88. sect. 2.*

Evangelio) Lopez *p. 1. c. 32.* at Sot. *l. 2. tutum non esse ait Evangelium non audire, & ita Nav. c. 2. Suar. l. c.*

Legit) Ita Nav. *cap. 21. n. 2.* quam reprehendit Suar. *d. 88. sect. 3. col. 2.* practicè tamen tolerari ait in alio sensu, scilicet si is qui Evangelium omisit, audiat totam Missam. reliquam usque ad Evangelium Joannis inclusivè.

Qui partem) Azor. *l. c. quæst. 3.* Sot. Nav. *l. c.* Tol. *l. c. cap. 7. n. 8.* Suar. *l. c.*

Simul dicit) Nav. *l. c. n. 8.* Joan. Med. *qu. 49 de confess.* Tol. *l. c. c. 6. nu. 5.* Azor. *l. c. q. 3. c. 1.* Suar. *l. c. sect. 4. in fine.* Sot. *l. c.* Vide Carbo *de audienda Missa, c. 9.*

Non admittunt) Ang. *vers. Feria, n. 46.* Syl. *Missæ 2. §. ult.*



Post Epistolam incipere audire Missam, & statim post communionem egredi, non caret scrupulo p. m. A principio autem usque ad communionem tantum assistere, non erit p. m. Suar. l. c.

3. Excusat Missam non audientem legitimum impedimentum, & quævis rationalis causa; ut si herus impediatur, aut femina prodeundo est alicui peccati occasio; & consuetudo, ut puellarum quæ non solent domo egredi; & custodia domus; & pudor ob vestem non decentem; & Ecclesiæ distantia debilem.

De causis excusantibus vid Azor. l. c. c. 7. Tol. l. c. c. 6. & c.

### Monasterium,

Vide v. *Monialis, Religiosus.*

1. Nomine *monasterii*, cujus accessus interdicitur hic, non intelligitur monasterium materialiter sumptum, sed ipse moniales; accipitur enim contentum pro continente: accessus verò ad monasterium est ille actus, quo quis sese transfert aut transferri sinit ad monasterium: unde ille qui domum monasterio contiguam habet, & è fenestra suæ domus monialem alloquitur, non dicitur ad monasterium accedere, cum ibi existat; & accessus indicet motum ad aliquem locum. tom. 1. de Clausura. & pœnis violatoribus ipsius impostis, quæst. 3. punct. 1. num. 1. & seq. Hoc posito dicendum,

2. Omnibus tam laicis, quam clericis & regularibus, (excepe eos qui in dignitate sunt constituti,) interdictum esse jure communi ad monialium monasteria accedere, & à fortiori illa frequentare, id est sapius in mens accedere. Non est tamen interdictum universaliter jure communi literas monialibus scribere; & illi, quibus jure speciali interdictum est sub censuris litteras monialibus scribere, non incurrunt censuras, nisi ipsæmet litteræ ad moniales perveniant actu. ibid. punct. 2. num. 1. & seq.

3. Accessus ad monasteria monialium sine licentia & causa, videtur sufficiens ad lethalem culpam, nisi ratione parvitas materiæ, vel alterius circumstantiæ, v. g. necessitatis vel parentelæ, excusetur. Contra laicos sine manifesta & notabili causa frequentantes monasteria monialium fertur excommunicatio comminatoria, quam solo accessu non incurrunt, nisi ab Episcopo moniti ut desistant, nolint ab hujusmodi



modi accessu desistere, id est si post monitionem accedat. Item contra clericum frequentantem monasteria monialium, si ab Episcopo monitus corrigi noluerit, ferenda est pœna suspensionis, imò & excommunicationis & depositionis, si corrigi nolit: Item contra Religiosos accedentes ad monasteria monialium imposita est pœna privationis officiorum, vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut patet ex decreto sacre Congregationis jussu Sixti V. edito anno 1590. quod decretum obligat sub mortali, modo non faciant de licentia Summi Pontificis, vel sacre Congregationis, vel Episcopi. Religiosi (etiam S. Joannis Hieronymitani) tenentur præfatas pœnas subire ante judicis sententiam. Adverte tamen Religiosos exemptos non subjici censuris latis ab Episcopo contra accedentes ad monasteria monialium absque sua licentia, cum non sint subditi; quare vis hoc tempore Religiosi alloquentes monialem absque licentia puniri possint ab Episcopo ex constitutione Gregorii XV. in Bulla de exemptorum privilegiis *ibid. punct. 3. nu. 1. & punct. 4. nu. 1. & seq.*

4. Laici & clerici à culpa & pœnis jure communi impositis contra frequentantes monasteria monialium, triplici saltem de causa excusari possunt; parvitate materiæ, ut si quis una vel altera vice accedat: legitima consuetudine in contrarium, & licentia Superioris etiam verbali, cum causa rationabili & manifesta, quæ licentia ad accedendum vel ingrediendum absolutè concessa non finitur primo actu. *ibid. punct. 5. nu. 1. & seq.*

5. Sola consanguinitas, per se loquendo, non est justa causa frequentandi monasteria monialium. Levior causa sufficit ad accedendum, quàm ad ingrediendum; cum minus sit accedere, quàm ingredi. *ibid. num. 10. & 11.*

*Ingressus monasterii monialium, quibus personis permissus, & quibus de causis.*

6. Nomine monasterii intelligitur illud spatium quod intra monasterii januam semper clausum continetur, seu est locus in quo siltere debent moniales, & extra quem nequeunt nobrevi quidem spatio egredi. modo tamen ille locus clausuræ deputatus sit. *ibid. quest. 4. punct. 1. n. 1.*

7. Omnibus personis cujuscunque generis aut conditionis



nis vel sexus fuerint, postquam ad eam ætatem pervenerunt  
 que ad rationis usum requiritur, interdictus est in monia-  
 lium monasteria ingressus. Adde, neque feminam posse in-  
 gredi absque licentia, etiamsi monialis sit, aut ingrediatur  
 ut fiat Religiosa: secus si monialis sit ejusdem habitus & or-  
 dinis, licet non sit ejusdem monasterii. Imo probabile est  
 Reges, Reginas & ipsorum filios & filias, non posse sine licen-  
 tia monasteria monialium ingredi, & multo minùs ipsorum  
 familias: quamvis contrariam opinionem multi non impro-  
 babiliter etiam defendant. *ibid. num. 2. & seq.*

8. Infantibus, qui rationis usum nondum adepti sunt,  
 non videtur interdictus in monasteria monialium ingres-  
 sus, Quando autem dubitatur an infantes rationis usum  
 adepti sint, præsumendi sunt rationis usum adepti, si ad se-  
 ptemnium pervenerunt. *ibid. num. 5. & 6*

9. Amens pubes in monasterium sine gravi peccato, in-  
 troduci non potest. *ibid. n. 7.*

10. Facultatem ingrediendi monasteria monialium con-  
 cedere potest Superior, qui monasterio præest, & cujus est  
 clausuram monialibus indicere; exceptis tamen monasteriis  
 S. Clarae, & Conceptionis. Unde sequitur Episcopum, Vi-  
 carium generalem, & Capitulum sede vacante, aliosque ju-  
 risdictionem Episcopalem habentes, concedere posse licen-  
 tiam ingrediendi monasteria sibi, & Sedi Apostolicæ subdi-  
 ta. *ibid. punct. 2. num. 1 & 2.*

11. Superiores quoque religiosi possunt licentiam ingre-  
 diendi concedere in monasteriis sibi subditis. Item religio-  
 sus, aut a ius, cui ex privilegio Papæ monasterium aliquod  
 subderetur, posset facultatem ingrediendi concedere; quam-  
 quam Superiores præfati religiosi possunt contra ipsum re-  
 quirere, an facultatem ultra casus licitos concesserit. Abba-  
 tissa non potest hanc licentiam concedere, nisi ei delegata  
 sit facultas à legitimo Superiore. *ibid. n. 3. & seq.*

12. In monasteria S. Clarae, aut Conceptionis, nullus in-  
 gredi potest sine licentia Papæ, neque etiam Fratres Mino-  
 res, nisi rogati sint à Prælatiis monialium, ut sibi opem fe-  
 rant. *ibid. num. 6 & 7.*

13. Superior qui alit. licentiam ingrediendi concedere po-  
 test, non indiget licentia alterius in casibus necessariis, mo-  
 do cum paucis ingrediatur, iisque senioribus & religiosis.  
*ibid. num. 9.*

14. Li-



14. Licentia ad ingrediendum claustra monialium debet esse specialis id est in specie continere debet facultatem ingrediendi claustra monialium: deinde debet dari in scriptis, etiam in casibus ordinariis, etiam pro foro interno: consequenter taciturnitas, aut licentia ore tenus non sufficit; & qui cum licentia verbis solum concessa ingreditur, graviter peccat, & penas prædictas incurrit. *ibid. punct. 3. nu. 1. & seq.*

15. Privilegium quod alicui conceditur ad dandam alteri licentiam ingrediendi septa monasterii monialium, non indiget scriptura, quia jura non requirunt scripturam in hujusmodi privilegio, sed solum in ipsamet licentia ingrediendi, & aliud est formaliter loquendo licentia ingrediendi, aliud facultas concedendæ hujusmodi licentiæ. *ibid. num. 4.*

16. Facultas ingrediendi monasteria monialium concedi non debet, nisi ob manifestam, id est, sufficientem & justam monasterii seu monialium utilitatem aut necessitatem, (quæ accipienda est moraliter, non autem physicè,) cui aliter commode occurrere non possit. *ibid. punct. 4. num. 1. & 2. Hinc*

17. Sacerdos causa confessionis, & aliorum sacramentorum, aut causa commendationis animæ aut sepulturæ, aut Missæ celebrandæ in valetudinario ingredi potest monasterium etiam cum socio, dum eo indiget ad præstandum ministerium, cujus causa monasterium ingreditur, etiam si in licentia nulla fiat mentio socii. Idem aliqui putant de religioso quavis de causa ingrediente, sed hoc D. Bonacini non probatur. *ibid. num. 4.*

18. Similiter ingredi possunt chirurgus, barbitonsor, medicus, Superior causa visitationis, vel ad electionem Abbatissæ, bajulus aliquid deferens in utilitatem monasterii, hortulanus ad irrigandum hortum, & iudex ad expellendum malefactorem, etiam si forte malefactor licitè ingressus sit. Item feminae admitti possunt in obsequium monialium, dum in eo monasterio conversæ non existunt; & hoc vnum est etiam, dum id exigit necessitas alicujus monialis particularis. *ibid. num. 5. & seq.*

19. Sutor & sartor, regulariter loquendo, ingredi non possunt sicut nec mater aut consanguinea causa visitationis, aut ad assistendum morti monialis; puellæ tamen admitti possunt causa educationis, modo monasterium consueverit hujusmodi puellas recipere; non autem feminae conjugatae, aut viduæ. *ibid. num. 11. & seq.*



20. Qui ingreditur prætextu vilis ministerii, quod se ipsa præstare non intendit, non excusatur: secus si id præstare intendat, etiamsi ingrediatur cum aliquo pravo sine. *ibid. n. 18.*

21. Non est licitus ingressus, si tempore ingressus cessavit causa ob quam data fuerat facultas ingrediendi: & is qui licentiam sine causa obtinuit, non potest licite ingredi, etiamsi causa tempore ingressus superveniat. Et hoc verum est, licet Superior licentiam sine causa concedere voluerit. *ibid. num. 19. 20. & 21.*

22. Ingrediens monasterium monialium ex justa causa, & cum licentia, non afficitur excommunicatione, si statim non egrediatur; peccat tamen graviter contra clausuræ obligationem si diutius immoretur *ibid. num. 22.*

23. Ingrediens sine justa causa, & sine licentia speciali cœnobii monialium; item ingredi facientes, permittentes, vel admittentes prætextu facultatum obtentorum ante motum Gregorii XIII. ubi gratia, personas prohibitas, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt privationem dignitatum, & inhabilitatem ad illas. Ita Gregor. XIII. & Trident. sess. 25. cap. 5. *ibid. punct. 5. num. 1. & punct. 6. num. 1.*

24. Prælati tam sæculares quàm regulares ingredienti ex causa necessaria, non afficiuntur excommunicatione, etiamsi ducant secum personas non religiosas, nec senes. *ibid. punct. 5. num. 12.*

25. Monialis quæ virum vel fœminam prætextu facultatis ingredientem admittere scienter præsumit in monasterium extra casum necessitatis, incurrit similiter ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, & privationem officiorum, ac inhabilitatem ad illa. Abbatisa & alii Superiores monialium eisdem pœnis afficiuntur admittendo aliquem in monasterium. Is autem dicitur admittere, qui directe vel indirecte cooperatur ingredienti, aut qui non impedit, cum teneatur ex officio impedire. *ibid. punct. 6. nu. 8. 9. 11. 12.*

26. Monialis privata, quæ alteri moniali mandat, vel consulit, ut aliquem ingredi permittat, non ligatur his pœnis, modo ipsa non concurrat ad alterius ingressum ex parte ingredientis. *ibid. num. 13.*

27. Ex dictis à fortiori patet, Prælatam, Abbatissam, vel alias Superiores non expellentes ingressum, dum commodè expellere possunt, ligari præfatis pœnis. *ibid. n. 15.*

De



*De violatione clausurae ob ingressum feminarum in monasteria religiosorum virorum.*

28. Monasterium est spatium illud quod intra monasterii ambitum continetur. Hinc prædia, & domus rusticæ non sunt obnoxia clausuræ: consequenter religiosus potest feminas ad hujusmodi loca causa audiendi sacra admittere. Præterea chorus non est pars monasterii, sacristia verò, si quam non patet aditus nisi per claustra monasterii, subijcitur clausuræ. Item infirmariæ, hospitia, & similia loca non comprehenduntur nomine monasterii: secus dicendum de hortis contiguis monasterio, cum intra monasterii ambitum contineantur. *ibid. quæst. 5. punct. 1. num. 1. & seqq.*

29. Omnibus feminis interdictus est ingressus in monasteria virorum, & non solum conjugatis aut viduis, verum etiam puellis quæ rationis usum nactæ sunt, vel ad septennium pervenerunt. Item & fundatricibus, nisi fortè in regula ipsorum religiosorum habeatur, ut fundatrices decenter comitatus admittantur: imò feminae in dignitate constitutæ non possunt hoc tempore virtute privilegiorum ingredi monasteria monialium; probabile tamen est Reginas & ipsarum filias posse monasteria religiosorum ingredi, etiam absque peculiari privilegio. Religiosi igitur graviter peccant admittendo feminas in sua monasteria, quia cooperantur delicto feminarum, & feminae quoque graviter peccant ingrediendo, etiam si tunc temporis nullus in monasterio religiosus existat. *ibid. punct. 2. num. 1. & seqq.*

30. Nullus præter Romanum Pontificem, vel habentem ab ipso privilegium, potest extra mortis articulum absolvere ab excommunicatione, quam incurrunt feminae ingredientiæ, & religiosi eas admittentes in sua monasteria. *ibid. punct. 3. num. 3.*

*Causa excusantes feminas ingredientiæ monasteria virorum.*

31. Privilegio Summi Pontificis obtento post constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. excusari possunt feminae, monasteria religiosorum ingredientiæ; quamquam si in eo monasterio extet regula non admittendi feminas, & in privilegio non fiat mentio hujus regulæ, non potest femina virtute privilegii ingredi. *ibid. punct. 4. num. 1. & 2.*



32. Femina alicujus dignitatis, quæ potest monasterium virorum ingredi, potest tecum decentem familiam ducere.

*Ibid. num. 3.*

33. Femina licitè ingredi potest ob necessitatem, ex. gr. ad visitandum infirmum, seu medendum, dum aliud remedium commodum non est. Item feminae possunt adhuc ingredi monasteria virorum causa Missæ funeris, concionis, sepulturæ, processionis, vel alterius divini officii, vel dum tantus est populi concursus, ut mulieres commodè ingredi Ecclesiam, aut ingredi non possint: imò feminae possunt ingredi monasterium causa audiendæ Missæ in capella claustrii, modò ad alia loca non progrediantur. Item dum recitantur horæ Canonicae, dum fit benedictio candelarum, &c. Item ingredi possunt dum fit lotio pedum, modò tunc legatur Evangelium, vel alia oratio fiat: vel dum aliquis in claustrio professionem emit, cum solitis religiosorum ceremoniis: non autem dum habitum suscipit, neque similiter ingredi possint ad audiendam comediam, vel disputationem. *Ibid. num. 4. & seq.*

34. Quæres, utrum femina ingrediens monasterium tempore divinorum officiorum, seu concionis, &c. non animo audiendi divina, vel concionem, excusari probabiliter possit à peccato & pœnis contra clausuram? Respond. probabiliter excusari posse *Ib. n. 13.*

35. Femina non peccat contra clausuram, si ingrediatur occasione processionis, quam Prælati indixit hoc fine, ut feminae ingredi possint. Idem aliqua ratione dici potest de ipso religioso processionem ad eum finem indicente; quamquam hujusmodi religiosus peccet abusu potestatis, & sit aliqua pœna dignus *Ibid. n. 14.*

36. Femina quæ justa de causa ingressa est, tenetur statim moraliter egredi, non tamen avertitur excommunicatione, si statim non egrediatur, imò etiam si ad ulteriora loca progrediatur Secus dic de religiosis eam admittentibus. *Ibid. n. 15.*

¶ 16.

*Moniales, & pœna violatoribus clausuræ imposita,*

Vide v. *Confessio, Monasterium.*

37. Clausura est spatium, quod intra januam monasterii  
 scilicet-



semper clausam continetur: seu est locus monasterii, quem moniales sistere debent, & à quo egredi nequeunt violatione præcepti, vel etiam voti, dum clausuram ex servare tenentur: unde monialis non potest ad domo nasterio contiguas accedere, etiamsi ibi degant feminae ligendis elemosynis deputatæ. Quòd si transeat ad alium tecti partem, vel transferat se extra januam distantia pedis, vel rota egrediatur, rea est violatæ clausuræ. Præter eà sequitur monialem non posse transferre se ad Ecclesiam exteriorem, vel ad alium locum, ad quem sæcularibus patet accessus. Item monialis monasterio egressa, si domo in qua constituta est, exeat, non violat clausuram, cum domus non sit pars monasterii.

Omnes & singulæ moniales cujuscumque ordinis post professionem, tenentur onere clausuræ, modò in congregatione vivant. Hinc conversæ & tertiariæ post professionem tenentur clausura, etiamsi in illis monasteriis nunquam ante Tridentinum servata fuerit clausura; secus dicendum de novitiis nondum professis, aut de feminis que non sunt verè moniales, etiamsi aliquæ simplicia vota emittant. Imò ad clausuram non tenentur feminae solemni professionem emittentes, hac conditione, ut in domo propria remaneant; quia hic sermo est de monialibus in congregatione viventibus. *tom. 1. de clausura, & pœnis violatoribus ipsius impositis, q. 1. punct. 1. n. 1. & seq. & punct. 2. n. 1. & seq.*

38. Clausura monialium, jure humano positivo, non autem jure naturali vel divino indicta est, ut patet *in c. periculo so, de statu regular. in 6. Concil. Trid. sess. 25. c. 5. ibi punct. 3. n. 1.*

39. Moniales egredientes è monasterio, etiamsi parvo spatio extra januam procedant, dantes licentiam egrediendi, ac receptatores, excommunicationem ipso factò & aliis pœnas incurrunt. Hac excommunicatione non afficitur monialis quæ justa causa egressa est, si finita egressus causa statim revertatur. *ibid. punct. 4. num. 1. & seq.*

40. Episcopus, vel Superiores religionum, qui sine justa causa licentiam exeundi moniali concesserunt, iisdem pœnis afficiuntur. Idem dic de comitantibus, vel receptantibus moniales injustè egressas, modò tamen sint causa egressus, & perseverantiæ in egressu: secus si causa urbanitatis, vel consanguinitatis comitentur, vel recipiant. *ib. n. 4. & 5.*

41. Nemo præter Summum Pontificem, vel habentem ab ipso



ipso facultatem jure communi potest à dicta excommunicatione absolvere, dum excommunicatio publica est. Dicitur habentem ab ipso facultatem, quia habens privilegium à Summo Pontifice, potest absolvere in foro conscientiae, etiamsi delictum sit publicum, vel deductum ad forum contentiosum. Item religiosi habentes privilegium absolvendi, possunt absolvere in foro conscientiae, etiamsi delictum ad forum externum deductum sit, quidquid in contrarium à multis afferatur. *ibid. punct. 5 n. 1. & seq.*

42. Onus cogendi moniales ad clausuram incumbit Episcopo auctoritate ordinaria, in suis monasteriis: auctoritate vero Sedis Apostolicæ delegata, in monasteriis Sedi Apostolicæ subditis, ut constat ex Trid. *sess. 25. cap. 5.* In monasteriis vero exemptis hæc facultas non competit Episcopo, sed Superioribus illorum ordinum, ex *cap. periculoso, de statu regular. ex Trident. sess. 25 cap. 9.* Prædicti Episcopi, & alii Superiores implorare possunt Principum & magistratum sæcularium auxilium; & magistratus tenentur sub excommunicatione ipso facto incurrenda opem ferre. Magistratum autem nomine veniunt personæ publicæ, quæ jurisdictionem sæcularem exercent. Imò judices Ecclesiastici gaudentes potestate sæculari ligantur excommunicatione non præbendo Episcopo auxilium circa clausuram. *ibid. punct. 9 n. 1. 2 & punct. 7 n. 4. & 5.*

43. Superiores non tenentur sub mortali decretum clausuræ quotannis publicare, *ibid. punct. 6. n. 3.*

*Ad quem pertineat facultatem exeundi monialibus concedere, & quibus ex causis.*

44. Ad Episcopum, vel ad ejus Vicarium generalem pertinet facultatem exeundi è monasterio concedere monialibus in monasteriis Episcopo aut Sedi Apostolicæ subjectis. Monialibus vero subditis religiosis concedunt Superiores religiosi, & etiam Episcopus, & quidem in scriptis, alioquin non tenet.

Hanc facultatem exeundi concedere non possunt Abbatis ipsarum monialium, quia etiam ipsæ clausuræ præcepto tenentur. *ibid. punct. 8. num. 1. & seq.*

45. Monialis excusatur à peccato & pœnis, si urgente necessitate exeat; tenetur tamen dum extra monasterium exi-



fit, causam sui egressus Superiori significare; quamquam materia parvitas excusat ubi non est perfecta clausura; sed secus si adsit perfecta transgressionis causa, etiam si monialis uno pede distet à janua clausuræ. Idem valet in ingredientibus claustra monialium. *ibid. n. 5. & 6.*

46. Ut monialis è monasterio licite egredi possit, requiritur facultas Superioris cum justa & gravi causa: tres autem sunt justæ exeundi causæ, incendium, infirmitas lepræ, & epidemiæ, & si quæ sint aliæ confimiles & urgentiores causæ, qualis est, v. g. belli: nam monialis potest monasterio exire dum bellum geritur contra infideles, periculumque gravi impendet ab infidelibus. *ibid. punct. 9. num. 1. 2. & 7.*

47. Abbatisa non potest exire, ut visitet monasterium cæmentarios vel sua monasteria, aut ut curam nepotum gerat, neque ut visitet parentes infirmos; potest tamen monasterio egredi, dum totus conventus in alium locum transfertur. Item Abbatisa exire potest ad præstandum juramentum fidelitatis sæculari domino feudi. Imò si ei constet licentiam à Superiori injustè denegari, adhuc exire potest, licet si dubitet. Similiter monialis exire potest ad reformandum monasterium ejusdem ordinis, vel ibi sit Abbatisa, vel januæ præfecta, vel magistra novitiarum, & finito monasterio potest reverti si velit, etiam si socia redire nolit. Item monialis potest ad perfectiorem religionem transire, vel ad aliud monasterium transferri causa correctionis aut penitentiæ, in casibus, in quibus ita jura decernunt. *ibid. num. 3. 4. 5. & seq.*

48. Monialis ejici potest in sententia nonnullorum, etiam si emendatio non speretur: sed probabilius est, & ita censet D. Bonacina, monialem ob incorrigibilitatem ejici non posse. *ibid. num. 14.*

49. Moniales conversæ ob necessitatem petendæ elemosynæ exire possunt servatis constitutionibus Pii V. & nihilominus possunt adhuc recipi & admitti ad professionem in monasteriis monialium. *ibid. num. 15. & 16.*

50. Monialis non potest exire monasterio ob infirmitatem non contagiosam, etiam si alioquin mortalis sit; quamquam non sunt puniendi Superiores qui licentiam exeundi concesserunt moniali gravi infirmitate, sed non contagiosa laboranti. Sunt tamen multi, qui asserant licitum esse moniali egredi tempore infirmitatis periculosæ.

Monia-



Monialis quæ iusta de causa egressa est, tenetur finita egressus causa redire quamprimum potest moraliter, non metaphysicè, *ibid. num. 18. & seq.*

## ADDITIO.

De velatione monialium gloss. *in can. illud autem. 20. q. 1.* facit quadruplex velum, vel velationem monialium: 1. est professionis, in qua velum imponitur tam viduis, quam virginibus; modo compleverint 12. ann. ætatis, secundum ius antiquum, *can. puella. 20. q. 2.* nunc autem, 16. 2. est consecrationis, in qua velum solum virginibus imponitur, idque anno ætatis 25. ut habetur *can. plus 20. q. 1. 3.* est ordinationis, in qua olim velum imponebatur diaconissæ, anno ætat 40. ut habet *canon sancti monialis. 21. q. 1. 4.* velatio est prælationis, in qua velum dabatur abbatissæ, futuræ anno ætatis 60. Palud. *4. d. 48.* adjungit velum continentis, quod est viduatum, ut habetur, *27. q. 1. c. vidua.*

Quæres: A quo possint velari, vel consecrari virgines, & quo tempore. Resp. viduas posse velari à quovis sacerdote, ut habet Palud. Syl & gloss. *16. q. 1. c. vidua.* Resp. 2. virgines tantum ab Episcopo, ut S. Thom. *in 4. dist. 38. a. 1.* Resp. 3. ordinariè debere hanc consecrationem, secund. Ostiens. Syl. Angel. institui in festo Paschatis, & per octavam, in Epiph. natali Apóst. dieb. Dominicis, ut habetur *20. q. 1. c. veland.* in necessitate autem, quovis tempore, *ibid. c. 1.*

## Monitorium.

Vide v. *Denuntiatio.*

## Monopolia.

Vide v. *Emptio & venditio.*

1. Quando mercatores inter se conveniunt de vendenda re supra pretium rigorosum, peccant mortaliter contra iustitiam, excedunt enim justum pretiū. Idem militat in emptoribus conpirationem ineuntibus non emendi nisi pretio vihoritiam iis licitum est solum in tantum conspirare, in quantum monopolium venditorum perseverat contra illos. Et quando

ff. 2

quando



quando unus vel pauci conveniunt emere omnes merces alicujus generis, ut eas ipsi afferent in tempus caritatis inopiæ, animo carius vendendi & lucrandi, graviter peccant saltem contra charitatem, vel contra justitiam legalem.

Potest tamen quilibet suppressere merces suas, usque ad tempus opportunum, quo eas majori pretio vendat, lecto monopolio; utitur enim jure suo quod habet consulendi sibi, & merces suas vendendi iusto pretio. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. quest. 2. punct. 5. num. 2. & seq.*

2. Qui vi vel fraude impediunt, ne merces aliunde advehantur, ut ipsi carius res suas vendant, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem. At qui iusta de causa impetrat à principe privilegium quo solus possit certum quoddam genus mercium advehere & vendere, non videtur graviter peccare, modò iustum pretium taxetur à Principe, vel à viris prudentibus, consideratis considerandis. *ibidem num. 8 & 9.*

3. Præter jam dicta monopolia sunt & alia, quæ ad illicitum monopolium revocari possunt, ut patet quando multi conveniunt, ut opus ab uno inceptum & inchoatum ab aliis non perficiat; aut quando artifices conveniunt, ut non doceant artem, nisi soluto quodam pretio iniquo; aut quando aliqui rumorem disseminant, vel litteras confingunt, quibus exprimitur naves submersas fuisse, quibus merces certi generis advehebantur, & hac de causa pretium mercium augetur; aut denique quando vendens sub hasta apponit fictum licitatore qui plus offerat, ut ceteri emptores ascendant in pretio. Utrum vero mercator qui non exercuit monopolium, possit suas merces vendere pretio communi, quod per monopolium crevit, sunt qui affirmant, sunt qui negant. *ibid. num. 10, & 11.*

4. Emptor qui emit pretio currenti sciens brevi futuram inopiam potest reticere inopiam secururam, & emere pretio currenti, utitur enim jure suo, & emit pretio iusto. Item non peccat contra justitiam, qui ad suum lucrum utitur privata scientia, qua scit condendam esse legem, qua minuetur, vel augebitur pretium mercium, vel monetæ. Denique non peccat, neque tenetur ad restitutionem, qui sciens brevi diminuendum esse valorem monetæ, mutuatur pecuniam alteri cum pacto ut sibi restituatur juxta valorem quem habebit tempore restitutionis. Neque refert, quod mutuarius non



pecuniam acceptam insumpturus, antequam pecuniæ va-  
lor Principis auctoritate diminuatur, quia mutuans utitur  
jure suo, & nihil accipit supra sortem. *ibid. nu. 13. & seq.*

*Mons pietatis.*

Videv. *Vsura.*

**A D D I T I O.**

Mons pietatis est pecuniæ, rerumve pecunia æstimabi-  
lium summa, in pauperum commodum reposita. Datur mu-  
tuo pecunia, ad breve tempus dantur pignora, ne pauperes  
solvere negligent, & mons deficiat: hæc vendi solent, nisi sta-  
tuto tempore pecunia reddatur. Qui mutuo pecuniam acci-  
piunt, singulis mensibus exiguum quid solvunt, ad alendos  
ministros. Tres conditiones necessariæ sunt. Prima, ut mons  
nihil lucretur; Secunda, ut quod mutuarius solvit, pro  
montis indemnitate accipiatur; Tertia, ut nihil accipiatur  
ultra expensas, &c & id, quod pro obligatione montis ad  
mutuo dandum licitè accipi potest.

*De aliis montibus, qui alibi in usu sunt.*

Principes aliqui, vel Republicæ summam annuorum re-  
dituum vendunt, quæ summa Mons dicitur. Pro reddituum  
varietate variis nominibus montes appellantur, ex quibus a-  
lii sunt perpetui, alii temporales, quidam sunt ad modum  
census, & reddunt decem pro centum Sunt autem liciti  
montes, 1. si redditus sunt veri, 2. si non plures pecuniæ ac-  
cipiantur, quam redditus fuerant, 3. si cum redditus, temporis  
spatio, minores fiunt, minus accipiatur, ( si tamen obligatio  
præcessit, ut imminutis redditibus, imminuantur annuæ pen-  
siones, ) 4. si pereunte monte, pensiones pereant. 5. si mons  
temporalis majores reddat pensiones, quam perpetuus. 6. si  
Principes gravi aliqua necessitate adacti, hos montes eri-  
gant Hujusmodi pensiones aliquando pluris venduntur,  
quam emptæ fuerint, raritas enim reddituum emptibilium  
pretium auget, & hoc est licitum.



Moneta, vid. v. *Cambium*.

*Mora.*

Vid. v. *Debitum*.

Non tenetur quis ad interesse damni, aut lucri cessandi ante moram, si de eo non sit pactum Syl. *mora qu. 4.* Obligatus ex delicto, semper est in mora, qui autem sine delicto, non potest, aut difficilè potest, aut alioqui causa justa accuitur, putant quidam non esse in mora, adeoque non tenentur ad interesse ratione moræ, nisi ex pacto, vel appositione pæne conventionalis, tali tempore non resisteret, aut impotentia culpa ejus accidisset. Alii putant, qui non solvit tempore debito, etiam sine culpa in mora esse, quæ opinio Emman. Sa videtur mercatorum usu recepta. *Obligatus* Syl. *c. c. q. 1.*

Morosus non tenetur restituere, quando res apud dominum peritura erat. Syl. *l. c. q. 4.* Fum, *vers. commodatum. n. 7.*

*Mortis articulus.*

Talis est, qui prudentis judicio videtur, & juxta quoddam, cum quis febris continua laborat, aut est ætate confectus, aut iter facturum periculosum Syl. *vers. mors. n. 4.* Aug. *ibid. n. 6.* Nav. *in summ. c. 2. n. 8.* Nav. Syl. *confessio, t. n. 6.* Fum. *l. c. Suar. tom. 3. d. 69. sect. 3. col. 2.* articulum & periculum mortis pro eodem accipiunt, ut quis possit absolvi, Val. *tom. 4. d. 7. q. 19. p. 2.* cum Sot. *d. 18. q. 4. art.* alterum ab altero distinguit, vid. *Absolutio.*

*Munera, Munerum largitio.*

Vid. v. *Religiosus.*

1. Clemens VIII. in Bulla XXVIII. quæ incipit *Religiosus*, ut votum paupertatis integrè servaretur, & bonis religionum consuleretur, interdixit largitiones, seu donationes fieri, directè vel indirectè, in juncta tam largientibus, quam largitionem recipientibus, sive per se immediatè sive per alium, pæna: unde sequitur, religiosum peccare contra Bullam



am & votum, commodando vel mutuando aliquid alteri, animo illud amplius non repetendi, quia dicitur indirectè donare. Similiter religiosus vel monialis condonans con- sanguineo solutionem legati, vel alterius debiti, rea est vio- lationis Bullæ; hæc enim remissio censetur donatio. Reli- giosus tamen non peccat contra hanc constitutionem, dum licet volenti rem aliquam sibi vel monasterio tradere, vel legare, rogat ut illam tradat suo consanguineo. Non viola- tur quoque hæc constitutio mutuando, locando, commo- dando, aut vendendo etiam infimo pretio. *tom. I. de largitio- ne munerum disp. 3. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Secunda actio prohibita in hac Bulla Clementis VIII. est erogatio pecuniarum quovis modo in honorem alicuius, etiam protectoris, benefactoris, vel ordinarii. Excipiun- tur tamen aliqui casus, in quibus licitum est regularibus aliquid largiri vel erogare, videlicet si fiat de consensu gene- ralis Capituli, vel de levioribus poculentis & esculentis, (modo non sint quotidiana,) & munusculis ad devotionem pertinentibus, vel de pecuniis quæ in divinum cultum ex- penduntur, vel de elemosynis ad sublevandas veras necessi- tates, vel de hospitalitate frugali præsertim erga pauperes & peregrinos. *ibid. n. 6. & seq.*

3. Omnes & singuli religiosi utriusque sexus, cujuscum- que gradus & dignitatis existant; imò etiam Capitula tam generalia quàm provincialia, ordo, conventus vel religio prohibentur munera largiri ex bonis ad monasterium perti- nentibus. Excipiuntur religiosi habentes beneficium Eccle- siasticum, aut certam quantitatem ad proprium usum assignatam à Prælato, de qua nullam rationem reddere debeant. Præterea non comprehenduntur in hac Bulla novitii, ter- tiarii, qui non militant in religione approbata; neque religio- si militares, neque Episcopi religiosi; secus dicendum de re- ligiosis Societatis Jesu (cùm sint verè religiosi, etiam si so- lum tria vota simplicia emiserint,) & de ejectis è monasterio, dum expendunt ad libitum bona quæ acquirunt; liberam enim habent dum vivunt hujusmodi bonorum administra- tionem, licet aliunde peccent prodigè & supervacaneè illa exponendo. *ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

4. Potestne quis remunerationis vice aliquid accipere à religioso? Potest de consensu legitimi Superioris, & modo munera accepta non excedant merita. *ibid. punct. 3. n. 2.*



5. Pœnæ, quibus afficiuntur qui munera capiunt à regularibus, sunt quod absolvi nequeant, nondum facta reali restitutione, obliganturque restituere ante illam iudicis sententiam. *ibid. punct. 4. num. 1. & 2.*

6. Religiosi largitionem facientes contra dispositionem Bullæ Clementis VIII, privantur dignitatibus, gradibus seu jure superioritatis & officiis: redduntur incapaces & inhabiles ad illa & alia in futurum obtinenda, sunt perpetuo infames, privantur voce activa & passiva, contra eos tamquam furti & simoniæ reos agi & procedi potest *ibid. punct. 5. num. 1.*

7. Quæres, utrum quantitas sufficiens ad peccatum mortale sufficiat ad incurrendas pœnas in hac Bulla Clementis VIII. contentas? Resp. eam quantitatem sufficere, quæ à legitimo Superiore taxata fuerit. *ibid. num. 6.*

8. Prælatus religionis non solum potest elemosynas facere de superfluis, aut de non superfluis conventus: verum etiam alias donationes pro ratione administrationis, ex causa quam vir prudens sufficientem existimaverit. Intelligitur modo aliud non ferat consuetudo, vel statuta religionis seu conventus circa quantitatem, modum & dependentiam à majori parte Capituli. Non potest tamen Prælatus religionis aliquid in ludos illicitos, aut in vanas causas expendere, nec aliquid testamento relinquere, quia non est dominus sed administrator bonorum monasterii. *ibid. punct. 6. num. 1. & seqq.*

9. Religiosus subditus non potest ulla elemosynas vel donationes facere absque Superioris licentia, & justa de causa. Per Superiorem intellige non solum Generalem aut Provincialem; verum etiam immediatum monasterii Superiorem, & etiam Abbatissam respectu suarum monialium, dummodo tamen Abbatissæ vel Priorissæ facultas restricta & limitata non fuerit ex consuetudine aut constitutionibus illius religionis, aut ex præcepto Superioris Prælati. *ibid. num. 6. & 7.*

10. Religiosi accipientes vel expedientes aliquid non petita expressa licentia, excusantur quoties in tali religione viget consuetudo illa accipiendi vel expendendi absque expressa licentia; tunc enim censetur adesse tacita voluntas & licentia Superioris per consuetudinem explicata, modo Superior non reclamet contra consuetudinem. Idem militat, quando religiosus aliquid accipit, vel expendit ad subveni-



venendum extremæ necessitati, propriæ aut alienæ: tunc enim non peccat mortaliter, quia Superior censetur consentire, & consensum præstare debet. *Ibid. num. 15. & 16.*

11. Religiosus qui extra monasterium ex debita licentia existit, potest præciso præcepto, vel consuetudine in contrarium aliquid largiri in remunerationem obsequiorum vel munerum acceptorum, potestque religiosus in claustris, vel extra claustrum vivens, habensque assignatam sibi certam quantitatem ad suam sustentationem, de illa honestè disponere ad suum libitum; sicut & absens à monasterio causa studiorum, vel negotiorum, vel peregrinationis, potest elemosynas & donationes facere juxta consuetudinem sui monasterii. Item Procuratores & Cellarii possunt elemosynas & donationes facere juxta quantitatem administrationis & consuetudinem. *Ibid. num. 17. 18. & 19.*

12. Monachus furans aliquid extraneo, potest restitutionem facere ex peculo, quod habet cum licentia disponendi, ut sibi placuerit. *Ibid. n. 20.*

13. Religiosus non peccat accipiendo vel distrahendo aliquid Superiore vidente & non contradicente, aut ex tacita voluntate illius, qui licentiam daret, si peteretur; etiamsi illi displiceat modus accipiendi. Item, emens grana benedicta, scuticas, & his similia de licentia Superioris, non peccat ea distribuendo sine nova licentia. Non tamen excusabitur religiosus, si rem acceperit, vel expenderit cum licentia per dolum obtenta, aut si expenderit in profanos usus, non potest prætextu tacitæ licentiæ excusari. *Ibid. num. 21.*

14. Religiosus, qui monasterii bona profanè expendit, seu insumpsit ad eos usus, ad quos licentiam non habebat, monasterioque damnum intulit, debet admonere recipientem ut restituat, si ex admonitione fructum sperat, nec gravis damni periculum timet. *Ib. n. 32. Item*

15. Religiosus, cui onus impositum fuerat conservandi bona monasterii, aut aliquorum usus concessus fuerat, ipse autem in iis conservandis debitam curam non adhibuit, ad restitutionem quoque obligandus est, si ex lata ipsius culpa res perierit, surripiatur, vel deterior fiat. *Ibid. num. 33.*

## Mutilatio.

Vide v. Irregularitas.

Ff 5

Mutuum.



Vide v. *Vsura.*

1. Mutuum est contractus, quo rei dominium transfertur in accipientem, spe recipiendi similem in specie & bonitate. Hinc patet, mutuum celebrari de iis rebus, quæ recipiunt functionem, id est, quarum una dari & substitui potest loco alterius, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia, ita, ut una fungatur sufficienter vice alterius. *tom. 2. de Contractibus, disp. 9. 3 puncti 1. n. 1. & 2.*

2. Dividitur mutuum in expressum seu formale, & in tacitum, seu implicitum ac virtuale, id est, quod virtute includitur in aliis contractibus, & ob id palliatum dicitur. *Ibid. num. 4.*

3. Adverte, aliquos eximi ab obligatione mutui, ita ut ad mutui accepti restitutionem non teneantur, tales sunt Ecclesiæ, locupia, minor, & filius familias, qui non habebat bonam castrensiam, vel quasi castrensiam, nec credebatur esse sui juris; hic enim non tenetur pecuniam sibi mutuo datam solvere, saltem in foro externo, ante vel post mortem parentum; sicut neque Ecclesia, aut minor tenentur solvere, nisi mutuans probet mutuum esse conversum in utilitatem illorum. Videtur tamen filium seu filiam familias teneri ad restitutionem mutui accepti etiam ante mortem parentum, quando accepit pecuniam mutuo, ad ea, ad quæ insumenda erat pecunia a patre, ut si filius pecuniam accepit ad emendos libros, aut quando pecunia conversa est in utilitatem patris, aut eam accepit de consensu illius, aut quando iuravit filius, se soluturum, quamquam potest iuramenti relaxationem obtinere. Neque refert, quod renuntiavit privilegio *Macedonianum* nuncupato; cum illud videatur principaliter concessum in favorem parentum, nullus autem cedere potest privilegio in favorem alterius concessio. *Ibid. num. 6 7 & 8.*

#### A D D I T I O.

Mutuum repetens ante tempus, quia eget, non tenetur ad interesse, nisi mutuatarius aliunde, si ille non mutuasset, fuisset habiturus. De mutuo Mol. à d. 298. Garz. cap. 6. de usura in mutuo. D. Tho. 1. 2. q. 78. Bannes *ibid. art. 2.*

Mu-



Mutuare cum pacto remutuandi, licere quidam ajunt, sed alii negant, quibus assentitur Emm Sa; obligare enim ad aliquid pecunia aestimabile ob mutuum, usura est. *Cov. de contr.*

q. 37. pro remissione injuriæ accipere aliquid tamquam pretium, usuram putat, licitum tamen est, mutuare alteri cum pacto, ut privatam vindictam tibi condonet. Item, si exigat justam aliquam satisfactionem, pro fama vel honore violato, potes eum obligare, ratione mutui, ut condonet pacto amicitia, sed non justitiæ. *Lessius. l. c. c. 20 dub. 7.*

*Renunciandi*) Licere putant Angl. *usura 1. n. 4. Major. 4. d. 15. q. 29. ad 2. Bann. 2. 2. q. 78. art. 2. nempè, si commodè possit, idque imposita obligatione non gratitudinis tantum, sed & civili, juxta Adrian. in 4. de restit. sed contra negant D. Thom. l. c. ad 2. Cajet. *ibid.* Sor. *l. c. Gab. 4. d. 15. quest. 11. art. 1. Nav. c. 157. num 223. Mol. d. 308.**

Pecunia deposita cum potestate utendi, fit mutuum, idemque est de quovis consistente in numero, pondere, aut mensura, fitque depositarius dominus.

Si quis det frumentum, recepturus oleum, mutuum videtur implicitum.

Mutuare mercatori cum pacto, ut reddat in mercibus; vel operario, ut in operis, est emere, anticipata solutione. *Vid. Mol. d. 309 n. 6.*

Mutui vexatio licitè redimitur. *Sor. l. c. art. 2. col 3.*

N.

Negotium.

**N**egotium alterius potest quis agere, sine ejus mandato.

Nomen.

Nomen sibi quemque posse mutare, excepto servo, modo fiat sine fraude, & alterius præjudicio, quidam ajunt; Em Sa ad tempus, & ex causa id posse putat, alioqui acceptum in Baptismo, non posse, nisi fortè in Confirmatione.

Notarius.

I. Notarius habere debet scientiam, saltem mediocrem

co-